AL.

T.

SYNODUS
ABBATIÆ
SS.^MÆ TRINITATIS
MILETENSIS
Nullius Diœcesis

A REVERENDISS. PATRE

JOSEPHO VANNUTTIO

SOCIETATIS JESU

PHILOSOPHIÆ, AC SACRÆ THEOLOGIÆ

PROFESSORE

Ejusdem ABBATIÆ in Spiritualibus,
Et Temporalibus

VICARIO GENERALI

CELEBRATA

In Ecclesia Sanctæ Mariæ, & Sancti Gregorij P.P.
Pagi Sancti Gregorij Superioris

Anno M. DCCXII. Dominica Quarta
Post Pascha XXIV. Aprilis.

NEAPOLI, M. DCCXII.
Typis Michaëlis Aloysij Mutio.

SUPERIORUM PERMISSU.



Indictio Synodi.

JOSEPH VANNUTTIUS
SOCIETATIS JESU

Sacræ Theologiæ Professor,

In Spiritualibus, & Temporalibus Abbatiæ SS. Trinitatis Militen: nullius Diœcesis Vicarius, & Officialis Generalis.

Sancta à Nobis visitatione in tota nostra Abbatiali Jurisdictione (Deo adjuvante) absoluta, in qua concreditum nostræ Pastorali sollicitudini, Gregem perlustravimus, par non erat pleniori notitia, Ovium nostrarum habita, Synodum diutiùs differre, ut earum saluti summoperè provideremus, territi ex illo, quod Supremus Judex, simul & Vindex, e manibus nostris Gregis commissi sanguinem, jacturamque requiret. Quapropter omnes, qui in partem nostræ sollicitudinis vocati sunt, ex tunc de hac Synodo celebranda certiores fecimus, ut maturiùs Ecclesiasticam disciplinam labefactatam instaurare, conservatam in Domino promovere possemus; Et ipsi animarum sibi commissarum pretium seriò perpendentes, nobis, si quid in hac Synodo statuendũ ad ipsarum salutem in Domino putaverint, non immature referrent: Nunc verò ad gloriam Omnipotentis Dei, ac sub Deiparæ semper Virginis Mariæ, aliorumq; Sanctorum patrociniјs, Sacrorum Canonum, & præsertim S.C.T., Prædecessorumque nostrorum vestigiјs inhærentes, auctoritate, qua fungimur, & præsertim vigore facultatis nobis ad hoc specialitèr concessæ ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Dom. Fabritio Tit. S. Praxedis Præsbytero Cardinali Spada, universalis Collegiј Græcorum de Urbe, & Abbatiæ SS. Trinit. Militen:

nullius Diæcesis Protectore, Conservatore, & Iudice privativè. Synodum Abbatialem Militen: indicimus, eamq; ad diem **24.** *currentis Aprilis, quæ erit Dominica quarta post Pascha in Ecclesia Parochiali Casalis Sancti Gregorij Superioris convocamus, sicuti tenore præsentium indictam, & convocatam esse denunciamus. Proinde omnes, & singulos dilectos in Christo Rectores, Beneficiatos, Cappellanos, Sacerdotes, & Clericos, tam cœlibes, quam conjugatos, & alios, qui in nostra hac Synodo de jure, vel consuetudine, aut ex privilegio intervenire debent, vel possunt; ac secularibus penitùs exclusis, requirimus, hortamur, admonemus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub excomunicatione, & alijs censuris, & pœnis à jure, vel consuetudine in celebratione Synodi Diæcesanæ adversus non accedentes solitis, & consuetis mandamus, strictèque præcipimus, ut persemetipsos Canonico, aut legitimo impedimento minimè detenti, de quo docere nos teneantur, huic Sanctæ Synodo celebrandæ, omninò adesse debeant, atque hora decimatertia de mane dictæ diei, ad prædictam Parochialem Ecclesiam cum honesto Clericali habitu, atque superpelliceis, & biretis accedant, nec ab ea discedere, vel abire; nisi eadem Synodo dimissa, & absoluta, ullo modo possint. Insuper per præsentes mandamus, ut post indictam, ac publicatam hanc Synodi convocationem, in omnibus nostris hujus Jurisdictionis Ecclesiis Parochialibus quoad usque ipsa Synodus absoluta fuerit Missa de Spiritu Sancto die Jovis, si solemnitas aliqua currentis Festi non prohibeat, cæteris verò diebus collecta de Spiritu Sancto dicatur. Tandem hortamur omnes prædictos, & alios quoscunque nostræ Abbatialis Jurisdictionis, ut à Deo assiduis precibus divinam opem implorent, qua freti meliùs possimus, quæ ad Cleri disciplinam, Animarum salutem, ac Divini cultus incrementum sunt necessaria, & opportuna, decernere. In quorum omnium, & singulorum fidem has literas nostra manu, & infrascripti nostri Cancellarij signatas, sigilloque nostro munitas dedimus, & in nostra Matrici Ecclesia Abbatiali, alijsque Parochiali-*

bus

bus inter Missarum solemnia publicari, & copias in locis solitis affigi, & affixas remanere jussimus, quatenùs omnes, & singulos, quorum interest, afficiant, moneantur, sicuti forent ipsorum cuipiam personæ denunciatæ. Datum ex nostro Abbatiali Palatio die 2. *Aprilis* 1712.

Joseph Vannuttius V. G. Abb.

N. V. Presbyter Cancellarius.

ORATIO HABITA
A REVERENDISS. PATRE.

Constitui te hodie, ut evellas, & destruas, ædifices, & plantes. Hiærem. 1.

TAmdiù, Fratres cariſſimi, & Sacerdotes Domini, noſtræ hujus Chriſtianæ Reipublicę detrimentis, quę domeſticus hoſtis, aut intulit, aut inferre paravit, ſingularis quædam facienda erat medela, ne ſi malũ, quod fortaſsè in extremis eſt partibus, latiùs ſerperet, pars etiam princeps deficeret. Ea tandem in præſentia ſunt adhibenda remedia, quorum vìs ad omnes ægrotas partes ſanandas longè, latèque pervadat, ut firma in dies magis, magiſque Religio caput attollat, & ſi quid unquam in cęteris paſſa eſt damni, robuſtiùs reviviſcat: Et quoniam magni animi eſt, magis laboribus, qui ſunt veræ gloriæ argumenta, quam laborum præmijs dele-

delectari, non erit abs re, ſubeundos vobis labores proponere brevitèr ob oculos, ut in his ſuperandis virtutis robore, quæ ſolet difficultatis ſtimulis excitari, ſitis fortiores: magna quippe negotia magnos animos poſtulãt, & magnos animos magnitudo laboris acriùs impellit. Eja agite nunc. Deo Auctore, hæc Synodus eſt inſtituta, & huic dictum à Domino puto, conſtitui te hodiè, ut evellas, & deſtruas, ædifices, & planctes. Ut ſcilicèt, & quæ in Eccleſiæ campis ſuccreſcunt paſſim zizania, ſuccidantur, evellantur, ac penitùs deſtruantur, & jactis virtutum ſeminibus, nova ſanctimoniæ ſeges ſuboriatur; atque efflo-
Gen. c. 27. n. 27 reſcat, *Sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Id hodiè nobis eſt præſtandum, dùm Prædeceſſorum noſtrorum adhærentes veſtigijs hùc adducti, Divino afflante Spiritu ſynodales aggredimur conſtitutiones. Depaſcenda vitiorum luxuries, jacienda virtutum, & gloriæ ſemina, ineunda conſilia, ſanciendæ leges, alenda tandem, & roboranda Religio, ne ab Adverſarijs oppreſſa, & expugnata deficiat: hanc foveamus, oportet, pro hac ærumnas ſuſcipere ne dubitemus, hãnc totis viribus retineamus.

Verùm enim verò parum noſtri hìc proderunt labores, ſi quiſque noſtrum commiſſi ſibi Gregis parum ſollicitus, etiam extra hanc Synodum, ſe conſtitutum à Domino minimè putet, ut evellat, & deſtruat, ædificet, & planctet. Vocati in partem noſtri muneris Sacerdotes meminerint, ſe nobiſcum exactiſſimam villicationis noſtræ rationem ſupremo Judici, ſimul & Vindici reddituros; quapropter timidi ſemper, & ſolliciti, quæ hic ad corruptos mores corrigendos, bonos conſervandos, vel etiam augendos ſancimus, in ope-

ribus

ribus nostris jugitèr descripta retineamus,ipsique simus ipsæmet leges, quæ cęteros instruant ad Sanctitatem; cum enim Ecclesiarum Rectores in clarissima tantæ dignitatis luce versent, ut aliorum etiam virtuti ad benè sperandum propositi sint,eorum flagitia privatis parietibus obtegi minimè possunt; *Dum in eos tanquam in speculum*, ut habet Conc. Trid; *reliqui oculos conijciunt, & ex eis sumunt, quòd imitentur*. Quod si quilibet inter homines dignitate Princeps Dei est exemplar in terris, non nisi cœlestis esse debet illorum vita, qui cęteris hominibus antecellunt, ut quorum dignitas proximè ad divinum numen accedit,eorumdem vita divina videatur esse, ut magistra sit morum, & cęteris norma vivendi: Tota igitur opera, & cura omnis in morum nostrorum reformatione, quæ custos est disciplinæ, consumenda est. Et sanè cum tritum sit omnium sermone proloquium; Ad Regis exemplum,Orbem componi, qui Populorum salute procurant, omnibus virtutibus esse debent instituti; Boni enim moderatorum mores propugnacula sunt Christianæ Reipublicæ, quæ adversus hostium improbitatem, morum potiùs integritate, virtutumque præsidio septa debet esse, quam armis. Imo, & illam vel cum vitæ discrimine tueri debemus;nam si ferè omnes ita suæ dignitatis amatores sunt, ut illam velint solùm cum vita dimittere, quid turpiùs esset, quam nos dimissa pietate, cujus dignitati Reges insignia, fascesque submittunt, vitam retinere?

Concil. Trid. sess.22. c. 1. de Reform.

Porrò si ijsdem res conservantur, atque augentur,quibus partę sunt,ijdem nobis subeundi erunt labores, quos majores nostri exantlaverunt, ut eadem virtus, & parens sit nascentis Religionis,

&nu-

& nutrix adolescentis. Juvaret hìc, nisi parcere deberem tempori, memoria repetere eas ærumnas, quas Christiani conditores Imperij fortissimè pertulerunt; Etenim diversi in remotissimas terras abeuntes divini homines, ex hominum commercio, & humanæ naturæ finibus exterminati videbantur, qui ad benè de omnibus merendum erant expeditissimi, qui angustijs se se obijcere non verebantur, qui studebant, ad Dei amicitiã, consuetudinemque Orbem traducere, illi notas, ignotasque terras peragrarunt, ut omuibus veritatis, & fidei lumen afferrent, & universum orbem implerent præclarissimorum facinorum gloria, & maximarum admiratione virtutum; illi per suos labores Christianæ amplitudinis auctores, per omnes calamitatum gradus Religioni aditum patefecerunt ad honorum culmen, & gloriam; cum enim ex his initijs magnitudo nostræ Religionis excreverit, nos in Ecclesiæ gremio relictam ab ijs pietatem, summo studio retinere non laborabimus? Et cum tantùm illi sanguinem effuderint, ut gloriam hanc nobis parerent sanguine suo, nos partam per summum dedecus negligemus?

Illud profectò est virtutis ingenium, ut in otio languescat, & pereat, in laboris autem acerbitate enitescat; summis igitur laboribus est excolenda Religio, ne aut sine hoste vincatur, aut sine cultu deficiat. Capite vos animi altitudinem, & vestræ dignitati, & majoribus vestris parem Sacræ Aræ ministri, vos vos inquam Religionis propagatores, pietatis custodes, & vindices esse debetis. Vobis divinus Pastor suas oves commendat, vobis pascua, vobis fructus, & fructuum fœcunditatem; Vestrum est aras tueri, sanctita-

tem

tem colere, & ab Ecclesia pestem arcere. Cavendum autem vobis est potissimum, ne pro emolumento, & gloria perniciem, ac dedecus afferatis, ne liceant omnibus impunè scelera, si vobis licere videantur. *Quis enim, inquit Chrysostomus, non moveatur ad peccandum, cum viderit ipsos Doctores pietatis peccantes.* Ne vestris sceleribus sacræ ædes fiant busta Religionis, & sepulchra pietatis, ne tandem improbitatis mercedem aucupemini in turpissimo Regno voluptatis. Audite quæso, quæ Div. Gregorius justissimi doloris stimulo præssus exclamat. *Nullum puto ab alijs majus præjudicium, quam à Sacerdotibus tolleret Deus, quando eos, quas ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debemus.*

Op. imp. hom. 10

Hom. 17. in Evang.

Decretum Primum.

De Synodi inchoatione.

IN Nomine Sanctiss., & individuæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Nos Joseph Vanuttius Soc. Jesu, Philosoph. & sacrę Theologiæ professor, Abbatiæ SS. Trinitatis Militen: nullius Dięcesis in temporalibus, & spiritualibus Vicarius Generalis, & officialis ad Dei optimi, maximi, ac Deiparæ semper Virginis, Sanctorumque omnium laudem, & gloriam nostram Synodum Abbatialem incipimus, & inceptam esse volumus, & pro ea, qua authoritate fulcimur hæc, quæ sequuntur in præsenti Synodo legitimè congregata matura deliberatione, concilioque præmissis sanctione perpetua statuimus, decernimus, & publicamus.

B De-

Decretum Secundum.

De præjudicio non inferendo.

SI quem contingerit in hac Synodo præter,aut contra conditionem ſuæ dignitatis, gradus, vel muneris incedere, ſtare, ſedere, vel vocari, aut quid aliud agere nemini propterea illatum præjudicium ullum, aut novum jus acquiſitum fuiſſe decernimus; ſed omnia omninò in eo ſtatu permanere volumus, in quo erant, priuſquam hæc Synodus cogeretur.

Decretum Tertium.

De deferendis quærelis, & abſentium excuſationibus.

EX antiquo Sacrorum Canonum inſtituto audiri debent quærelæ, ſi quæ ſint, nec non abſentium excuſationes; ideò pro eis recipiendis deputamus infraſcriptos Judices.

(D. Antoninus Faga.

(D. Franciſcus Antonius Genoveſe.

Decretum Quartum.

De non diſcedendo.

PRæcipimus omnibus, & ſingulis, qui ad hanc Synodum convenerunt, aut præſentes adeſſe tenentur ſub poenas excomunicationis, ne antequam hæc Synodus legitimè dimiſſa ſit ex hac Eccleſia diſcedant ſine facultate à nobis concedenda, quin etiam ſeſſionibus, capitibus indictis, vel indicendis ſub eadem pœna interſint. .

De-

Decretum Quintum.

De Officialibus Synodi.

UT hæc Synodus legitimè convocata Ministrorum paritèr opportunitate dirigatur; idcircò Officiales in ea ſtatuimus juxta ſeriem infraſcriptam.

Officiales Synodi.

Promotor. D.Dominicus La ſirica U. J. D.
D. Antoninus Fortuna.
Secretarius. D.Joannes Baptiſta Vinci.
Magiſtri Cæremoniarum. D.Nicolaus Murmura.
D.Saverius Buccarello.
Procurator Cleri. D.Franciſcus l'Acquaniti.

Decretum Sextum:

De Examinatoribus Synodalibus.

SAcroſanĉti Concilij Tridentini ſanĉtionibus obſequentes proponimus nobis hos viros pietate, ac doĉtrina præſtantes, qui examinatorum officio fungantur, quoad altera Synodus habeatur.

Examinatores Synodales.

D.Felix Talotta U. J. D. Reĉtor Mileti.
D.Dominicus La Sirica U. J. D. Reĉtor S.Gregorij Superioris.
D.Gregorius Bonell. U.J.D.Reĉtor Piſcopij.
D.Antoninus Faga. Reĉtor S.Gregorij de medio.

D.Franciſcus Antonius Genoveſe. Rect. Triparni.
D.Antoninus Fortuna. Rector Pizinni.
D.Franciſcus L'Acquaniti. Rector Venæ ſuperior.
D.Filippus Puglieſe. Rector Venæ inferioris.
D.Vincentius Gaſparro. Rector Arzonæ.
D.Jacobus Pignattaro. Rector Zamarò.
D.Joſeph Radino. Rector Longobardi.
D. Marcus Averſa.
D.Chryſoſtomus Fortuna.
Placetne vobis (Reſponderunt) placet.

Decretum Septimum.

De Judicibus Synodalibus.

ITem præcipit idem Sacroſanctum Concilium Tridentinum, & Bonifacij Papæ VIII. conſtitutio in Diœceſana Synodo eligi Judices, quibus cauſæ per Sedem Apoſtolicam delegari poſſint, & in Regularium conſervatores eligi valeant ad prædictarum ſanctionum tenorem vobis proponimus.

Reverendum D.Felicem Talotta U. J. D.
Reverendum D.Dominicum La Sirica U.J.D.
Reverendum D.Gregorium Bonelli U.J.D.

Decretum Octavum.

De Teſtibus Synodalibus.

EX antiqua Sacrorum Canonum conſtitutione viros aliquos moribus, ac diſcretione probatos in Synodo eligi ſtatutum eſt, qui diligentèr animadvertant, quod in tota hac Abbatiali Juriſdictione corrigi debeat, & ſi quid tale cognoverint, nobis ſignificare teneantur. Pro hoc igitur munere exercendo eligimus,

Omnes Rectores, & Vicarios Foraneos.

DE

DE FIDE CATHOLICA

SESSIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

CUM Fides ſit fundamentum, ac principium cęterarum virtutum, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, eam omnes de rigore profiteri tenentur; Idcircò pro ejuſdem inviolata conſervatione roboranda, ab ipſa exordium ſumendum decrevimus. *Hebræos 11.*

Præcipimus, ut omnes, & ſinguli Beneficiati cum cura, & abſque cura, ſi adhuc Sanctæ Fidei profeſſionem coram Nobis, vel Prędeceſſoribus noſtris non emiſerint, eam quam primum emittant. Et in poſterum promovendi infra ſpatium duorum menſium poſt adeptam beneficij curati poſſeſſionem, illam profiteri teneantur, & debeant juxta pręſcriptam formam Bullæ Pij IV. Et in caſu contrarij eorum beneficiorum fructus non faciant ſuos. Idem ſervetur ab omnibus docentibus liberales literas, vel ſcholaſticas diſciplinas; (Parochis exceptis) ſi tamen aliàs fidei profeſſionem non emiſerint, & nobis non oſtenderint. Et hoc fiat infra unius menſis ſpatium ab hac die. Idemque ſervetur in poſterum pro ordine ſupra adducto ſervata forma præfatæ Bullæ Pij IV. *Pius Quartus conſt. 89 Concil. Trid. Seſſ. 25. de reſor. cap. 2.*

Et ut plenam notitiam habeamus, Parochi, quiſ- *Synodus Diœceſana Ea*

Episc. Rufi in tit. de Fide Cath. cap. 6.

quisque in sua Parochia facta diligenti inquisitione, nomina, & cognomina eorum qui tali munere funguntur in scriptis transmittant infra mensem à die publicationis præsentium.

Noverint universi Christi fideles, quod quisque eorum tenetur Hæreticos, & de hæresi suspecta denunciare, & præcipuè, qui curam animarum gerunt, invigilare debent, ut si qua (quod absit) in eorum Parochijs tali pestifero morbo laborare noverint, statim Nobis denunciare teneantur.

Ut omnis hęreticę pravitatis zizania ab agro dominico tollatur, sacræ Inquisitionis decretis inhærendo, mandamus, ut omnes nostræ Jurisdictionis subditi infra mensem à die publicationis, nobis distinctam singulorum librorum notam, quos quisque tenet cum nominibus, & cognominibus Auctorum conscriptam deferant sub pœna excomunicationis.

De Doctrina Christiana.

CAPUT SECUNDUM.

Trid. Sess. 5. cap. 2. & Sess 24. c 4. de reform. Synod. Provinc Neapol sub Mario Carafa anno 1576. cap. 4.

NOn sine Christiani nominis injuria, & animarum jactura in pluribus locis reperiuntur, non tantùm parvuli, verùm etiam adulti, adeo fidei rudimentorum, ignari, ut vix fidei articulos noverint, eosque, vel minimum explicare valeant. Unde Pastores seù Parochi Ecclesiarum caveant, ne dominico grege neglecto, se ipsos tantùm pascant, & meminerint, quam districtè coram tremendo Judice sint pro suis ovibus rationem reddituri. Præcipimus igitur omnibus, & singulis Parochis,

co-

eorumque Economis pro tempore, ut singulis diebus festivis, saltem dominicis ad campanæ pulsum convocent parvulos suæ Parochiæ in Ecclesia, hora competenti, eosque doceant claram, planam, & explicatam methodum doctrinæ Christianæ. Et ut parentes, & adulti faciliùs parvulos mittant, sivè ducant, ad tam utile,& pernecessarium munus, sepè inter Missarum solemnia eos moneant, promulgando spiritualia stipendia Indulgentiarum Societati, sivè Congregarioni doctrinæ Christianę à summis Pontificibus elargita. Imponentes contra Parochos, vel Economos negligentes, amissiones fructuũ, aliasq; pœnas ad nostrum arbitriũ.

Parochi nullo modo admittant ad officium Sponsoris, seù Patrini in baptismo eos, qui non sufficienter in articulis fidei sunt instructi, & fidei rudimenta ignorant, super quo conscientiam Parochorum oneramus.

Ex actis Ecclesiæ Med. p. 4 de conf 1. & de Patrinis.

Parochis casalium præcipimus, ut diebus festivis antæ Missæ Parochialis celebrationem populo ad divina congregato alta voce ad majorem ipsius Populi instructionem vulgari idiomate Simbolum Fidei, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Decalogi, & Ecclesiæ præcepta, & mysterium Sanctiss. Trinitatis recitent, ita clarè, & distinctè, ut Populus facilitèr ea repetat.

Sac Congr. Concil ad omnes Archiepisc. sub die 19. Januar 1619.

Mandamus, ut Clerici in Parochijs, ubi sunt adscripti, assistent doctrinæ Christianæ, Parochos adjuvando, alioquin ad ordines ulteriores non promovebuntur, & sit eis notum hoc, esse unum ex requisitis, cui nullo modo dispensabitur, & nobis id constandum fore per attestationem proprij Parochi.

Caput ut quisque de vita, & honestate Clericor & ex edicto SS. Dom: Innocent. XII. 11. Febr. 1691. tunc Archiepisc. Neapol.

Sit

Sit notum Sacerdotibus in posterum, neminem admitti ad audiendas confessiones; nisi tale munus doctrinæ Christianæ exerceat.

Interrogent frequentèr confessarij parentes, & dominos, an satisfecerint obligationi instruendis pueris, & famulis super fidei rudimenta, & an ipsos ad doctrinam Christianam ediscendam mictant, & salutares pœnitentias pro non adhibita diligentia imponant.

Concil. Provinc. Med. S. Caroli par. pr. hoc tit.

De Concionatoribus.

CAPUT TERTIUM.

Leo X. in Conc. Later. Sess. 11. & in Bul. constit. 21.

IN nostra Abbatiali Diœcesi nullus Concionator, tàm Regularis, quàm secularis audeat prædicare absque nostra licentia gratis concedenda in scriptis.

Concionatores in quadragesima, qui Mileti diebus sabbati in nostra Abbatiali Ecclesia, ut moris est, Populo verbum Dei prædicant, id paritèr non agant, nisi priùs à Nobis facultatem in scriptis obtinuerint.

Nullo modo permittatur in nostra Jurisdictione aliquem exterum sine nostra licentia quæstuare, vel immagines, seù reliquias circumferre, aut indulgentias publicare, exceptis Regularibus juxta eorum institutum.

De Sacramentis in genere.

CAPUT QUARTUM.

OMnibus, & singulis Sacerdotibus, & ijs præcipuè, qui curam gerunt animarum præ-

præcipimus, ut in Sacramentorum confectione, & administratione omni cordis munditie se gerant, gravi & modesto cultu, verborum formam attentè, distintè, & non affettatè proferendo, potissimum in consecratione Corporis, & Sanguinis Christi Domini, ita ut fiat voce benè articulata, attentè, & devotè cum maxima reverentia, & filiali timore. Materia cujusque Sacramenti sit certa, non dubia; sed per se, vel per alios plenè probata, juxta communem sensum Ecclesiæ, & sacrorum Doctorum tutiorem sententiam, & decretum sacræ Congregationis super editum cum oraculo SS. Domini nostri Papæ Innocentij XI. f. m. Adhibitis etiam paramentis, & vestibus ad singula Sacramenta necessarijs à S.R.E. præscriptis, non immundis, laceris, vel incompetentibus, ut per ea cordis mundities, & divini cultus venustas ostendatur; proinde in ministrando, tàm in altari, quàm extra, sint devoti, graves, & modesti. Super omnia sit in eis puritas conscientiæ, Sacramentali Confessioni præmissa, ubi se noverint aliqua gravi culpa pollutos, memores illius: Mundi estote, qui fertis vasa Domini.

Rit. Rom. in rub. de Sacramen. administrat. Can. nolite distint. 11. Trid sess. 9. can. 11. & 13. de Sacr.

Vestes sacras, & quidquid ad Missæ celebrationē attinet Cappellanis dent cappellæ confraternitates, & Patroni beneficiorum; nullusq; Cappellanus audeat celebrare cum vestimentis alterius Cappellæ, seù Confraternitatis, seù Patroni beneficiorum sub pęna suspensionis. Quapropter, tàm Cappellæ, quàm Confraternitates, & Patroni beneficiorum habeant ad minus tres capsulas, unam ex colore albo, & rubeo, alteram ex viridi, & violacio, tertiam ex nigro pro defunctis.

Trid. Seß. 24. de refor. cap 7. can. licet. 8. q. 1.

Ut cultus, & devotio in animis Sacramenta ſuſcipientiū excitetur, quàm pluries inter Miſſarum ſolemnia Parochi illorum dignitatem, inſtitutionem, uſum, & fructus ſalutares ex catechiſmo Romano ad captum Populi vulgari lingua exceptos explanare non omittant.

Can ſi Preſbyter, can. agnovimus 26. q 6 can. quicumq; de conſecr. diſtin. 4.

Si quis Parochorum negligentia ſua quempiam ex hac ad aliam vitam tranſire permiſerit abſq; ſuſceptione Sacramentorum, aut ſine animæ commendatione, ultra reatum læthale ob ſcelus commiſſum, pœnis carceris formalis per ſemeſtre à nobis punietur.

Can. Eccleſias 13. q. pr. Rit. Rom l c. fidelib.

Nullus ex Sacerdotibus audeat Sacramenta adminiſtrare, præter Parochos, quibus de jure hoc ſpectat; niſi tamen de licentia noſtra, & cum Parochi conſenſu, vel urgente neceſſitate eo abſente, & non aliter.

De Sacramento Baptiſmi.

CAPUT QUINTUM.

IN ſingulis Eccleſiis Parochialibus, & non alibi, ſit fons baptiſmalis, cum ligneo tabernaculo, deſuper lineo ſaltem velamine violacei coloris operto, & cum ſera ferrea, & clave ſtrictè cuſtodito; intus verò habeat operculum ligneum benè aptatum, & ex parte ſuperiori cum tela cerata velatum, ne pulvis, aliudvè ſordidum cadat. Et Curatus quam ſepè videat, ne quid immundum in ſacro Fonte decidat, & ſi quid hujuſmodi repererit, ſtatim ab eo ablatum, in Sacrarium proijciat. Ita ut fons ſemper conſervetur mundus. Oleum tùm infirmorum, tùm cathecumenorum, paritèr in

loco

loco tuto in Ecclesia Parochiali cum sera ferrea clausa asservetur in vasibus mundis,& strictè coopertis,ac serico velamine violacei coloris superposito, maximè cum contingerit pro Sacramentorũ administratione aliquo asportari; hujus conservatorii fontis Baptismalis, & Sacrarij claves sint semper à Parochis custoditæ, nec alicui commissæ; nisi probato Sacerdoti pro administratione.

Si opus fuerit oleo sacro, oleum profanum addere, semper non sacrum in minore quantitate addatur,etiam si pluries fieri oportuerit.

Si quem adultum baptizari contingerit, servetur forma Ritualis Romani, nec sacra unda abluatur, quin priùs benè catechizatus fuerit,& rudimenta fidei plenè noverit,& constantem, & plenam voluntatem baptismi suscipiendi ostenderit, & ipse pro se respondeat, & non alius, obtenta priùs à nobis licentia, nisi talis sit in extremis constitutus.

Nemo Parochorum,vel alius Sacerdos præsumat, præterquam in Ecclesia Parochiali baptismum solemnitèr ministrare, & hoc non fiat de nocte, sed claro die; nisi in casu necessitatis, in quo baptismus fiat in aqua tantùm, reservatis cęremonijs supplendis in Ecclesia, si fortè infans supervixerit, nec permittat prorogari baptismum infantiũ ultra quatuor dies. Quod semper à Parocho fieri debet, & nullus alius se ingerat.

Rit.Rom.de Sacr.baptis. Synod.Cardin.Philom. an.1662. hoc tit.

Cum infans aliquis baptizandus adducitur ante omnia Sacerdos exploret ab obstetrice, vel alijs, an fuerit domi baptizatus propter necessitatem,interrogando de materia, forma, & intentione,& à quo fuerit baptismus ministra-

tus,& si compererit ex diligenti perquisitione, omnia ritè adhibita fuisse ad necessitatem Sacramenti, suppleat tantummodò ceremonias juxta formam Ritualis Romani. At ubi remanet aliquod dubium, tàm circa qualitatem baptizantis, quam circa essentialia, baptizet illum sub conditione.

Rit. Rom l. cit.

Infantes expositi, seù casu inventi, de quorum baptismi collatione dubitatur, si post peractam diligentem perquisitionem, nulla certa habeatur notitia, vel adeo dubia, ut non possit salus infantis liquido haberi, baptizentur sub conditione, scilicet si non es baptizatus &c.

Cap. parvulos cum sequenti de Cons. dist. 4 Rit. Rom l. c. §. si mater.

Invigilent Curati animarum, ut obstetrices suæ Parochiæ sint benè instructæ circa materiam, formam, & intentionem Sacramenti baptismi, ut benè gerant tale ministerium, sæpè easdem doceant modum, qualitatem materiæ, claram prolationem formæ, saltem vernacula lingua, itaut formæ substantia non corrumpatur. Insuper moneant, ut semper cum ad adjuvandum partum accedunt, aquam proximè paratam habeant. Declarando qualis debeat esse earum intentio, & non permittant, fœminas imperitas obstetricis munus suscipere; nisi ab eis fuerint priùs benè instructæ, quorum instructioni frequentèr vacent. Et nos prædictis fœminis mandamus ante instructionem hoc officium ne assumant sub pœna excomunicationis.

Comperimus in aliquibus locis nostræ Jurisdictionis introductum esse quemdam abusum cujusdam benedictionis Parochi, accedendo ad domum earum, quæ nupèr pepererunt. Proinde ad illum extirpandum, inhibemus in po-

posterum Parochis, & Sacerdotibus; ne amplius hoc faciant; sed puerperam in Ecclesia Parochiali benedicant servata forma Ritualis Romani, quod munus ad solos Parochos spectat; cęteris verò Sacerdotibus interdicimus.

Curati post completum baptismum præcipiant Parentibus sub pœna excomunicationis, & hoc faciant per obstetricem, vel Patrinos, ne retineant pueros in lecto per annũ, & ampliùs; sed in cunis, in tuto receptaculo pulvinis adaptato, itaut non sit periculum suffocationis.

Caveant Parochi, ne permittant alios Sacerdotes in eorum Parochijs baptizare, nisi post examen, & ubi repererint satis idoneos, ne eorum incuria in re tam gravi, salus infantis periclitetur.

Nemo præsumat formæ Sacramenti Baptismi aliquid addere, sivè aliquo modo illam corrumpere, seù moram in proferendo interponere, sed simul cum debita attentione, & intentione illam proferendo aquam super caput infantis ter ad modum crucis infundat, itaut inde defluat in peluim suppositum.

Imponendo nomẽ baptizandis, Parochus se abstineat a nominibus paganorum, sivè Ethnicorum, vel à nominibus exoticis; sed nomen imponendum sit semper de aliquo Sancto, sivè pijs fidelibus consuetum.

Synod. Provinc. Neap. hoc tit. Syn. Card. Cantel. hoc tit.

Ad decentiam, & honestatem (non tamen ex præcepto) curent Parochi, ut à maribus mares; fœminæ verò à fœminis suscipiantur baptizandi de sacro fonte, & ita moneant Populum; etiam in confirmatione; nisi pro bono pacis aliud occasio expostulet.

Telæ lineæ, quæ ab obstetricibus deferuntur,

Synod. Mileten. Episc. Paravicino. tur, non adhibeantur in imponendo baptizati capiti linteolum, sed alba veste in modum Pallioli utantur, quam paratam semper teneant in Sacro Fonte.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT SEXTUM.

CUrati moneant Parentes, ut invigilent, & omninò procurent, ut eorum filij Sacramentum Confirmationis debito tempore recipiant, potissimum cum occasio venerit, ut aliquis Episcopus in loco viciniori ad confirmandum accesserit.

S. Carolus in edicto de hac re. Qui Sacramentum Confirmationis suscepturi sunt, habeant ad minus ætatem annorum septem; si verò fuerint majores, usuque rationis pollentes, antequam ad illud accedant, confiteantur, si conscientiam peccati mortalis habuerint.

Trid. Sess. 7 can. 2. Conc. Flor. in dec. Eugenii Papæ. 4. Cum fideles, hujus Sacramenti virtute corroborentur ad bellum pro Christi fide tuenda, & eorum corda dilatentur Spiritus Sancti infusione. Parochi instruant confirmandos, quænam sit ejusdem Sacramenti efficacia.

Conficiant Rectores librum, in quo adnotentur nomina, & cognomina Confirmatorum, eorumque Parentum, & Compatrum cum nomine Episcopi confirmantis, loci, diei, mensis, & anni.

De

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT SEPTIMUM.

SInt in Ecclesia sedes confessionales cum cratibus æneis, vel ligneis, parvis foraminibus accommodatis. *Rit. Rom. de Sacr. pœnit. v. habeant in Ecclesia.*

In singulis sedibus confessionalibus affigantur, & manuteneantur tabellæ, in quibus sint adnotati casus in Bulla cœnæ, & Nobis reservati, quorum notitiam habeant omnes Confessarij à Nobis approbandi, vel penès se descriptos retineant.

Mulieres non admittantur ad Confessionē, nisi in confessionalibus, non ante, sed de latere, & hoc post ortum, & occasum Solis, vel paulò ante, vel paulò post dictum ortum, & occasum Solis; nisi contigerit ob necessitatem alitèr fieri; nec extra casum necessitatis audiatur confessio fœminarum extra Ecclesiam, vel in domibus, & cum contingerit ad audiendam confessionem mulierum ad domum earumdem accedere, janua non claudatur; sed exclusis adstantibus, janua patente confessio auscultetur. *Sac. cong. Episcopor. 29. Apr. 1611.*

In injungenda pœnitentia confessarij prudentèr procedant in ejusdem mensura, & proprietate, maximè in medicinali, seù preservativa, ubi opus cognoverint, & sint cauti, ne ob injunctam pœnitentiam aliquo modo possit Parentes, vel domestici pœnitentis scandalizari. Et nemo præsumat publicam dare pœnitentiam, sed quando publicis delictis talis esset infligenda, fiat nobis consultis, & non alitèr, meretricibus, aliisque recidivis peccatoribus *Rit Roman. ubi supra v postremò.*

ab-

absolutio non statim conferatur à confessarijs; nisi probabilitèr indicent fore, ut illi abstineant à peccatis. Idcircò differatur expectato secundum eorum prudentiam aliquo temporis spatio, salvo tamen scandalo.

Nullus Sacerdos confessiones audire præsumat, licèt à nobis approbatus, nisi priùs obtenta licentia Rectoris loci, cui ostendat approbationem à nobis factam sub pœna suspensionis à divinis.

Revocamus omnes licentias audiendi Confessiones à nobis hactenùs concessas.

Confessarij non audeant, vel præsumant scientèr, vel dolosè aliquem absolvere à casibus Nobis, vel Sedi Apostolicæ reservatis sine speciali facultate sub pœna suspensionis à divinis, & alijs nostro arbitrio.

Synod. Provinc. Neap. Car. Phil. an. 1644. iuxta decr. pro Vrie Vrb. VIII. sub die 20. Julii 1611.

Prohibemus omnibus, & singulis confessarijs, etiam Parochis sub pœna suspensionis à divinis ipso facto incurrenda, quoad Parochos, quoad cęteros Confessarios, tàm regulares, quàm seculares suspensionis, & inhabilitatis ad audiendas confessiones, alijs pœnis, &c. Ne extra Ecclesiam pœnitentium utriusque sexus confessiones Sacramentales accedant excipere, excepto casu necessitatis, & exceptis Sacerdotibus, qui ad Ecclesiam commodè confugere non possunt.

Rit. Roman. hoc tit.

Insuper præcipimus omnibus, & singulis confessarijs, cum Sacramentum pœnitentiæ in Ecclesia ministrant, sint induti stola, & superpelliceis, vel saltem vestibus talaribus sub pęna suspensionis ipso facto ab audiendis confessionibus.

Confessarij præ oculos habeant pœnas à

Con-

Constitutione Gregorij XV. contra Sacerdotes sollicitātes in confessione memoratas, & quod nullo modo sit absolvenda persona sollicitata; nisi sollicitantem denunciaverit. *Greg. XV. Const. 34. lit. Sacr. Cong. de Vrbe 3.Oćtobr.1626.*

Mandamus omnibus Confessarijs, tàm Secularibus, quàm Regularibus, quatenùs nullo modo permittant sedes confessionales dùm excipiunt confessiones esse circumdatas à fidelibus, etiam confiteri volentibus, sed faciant eos in proportionata distantia manere, ita ut nequeant audire ipsos Confessarios, vel pœnitentes. *Synod Mileten. Episc. Bernar.anno 1705.*

Cum sedes confessionales sint institutæ instar tribunalis, ut accedentes ad eas per confessarios à proprijs culpis absolvantur, tantùm ad hunc usum inservire debent. Ideo mandamus omnibus secularibus, ne audeant in eisdem sedère, vel stantes morare. *Synod. prædicta hoc tit.*

Declaramus sublatam nos velle confessarijs omnibus facultatem absolvendi super peccatis,quorum ipsi quocumque modo participes, seù complices fuerint.

De Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT OCTAVUM.

TAbernaculum, in quo detinetur Sacramentum sit intus ubique serico velamine æqualitèr velatum, vel coopertum, itaut pulvis aliqua ex parte cadere non possit, sit benè clausum, cujus clavis sit argentea, vel inaurata, quæ à Parocho conservetur in loco tuto, itaut non possit in manum alienam pervenire. *Gavant. in Man.v.Euchar.n.pr. Rit.Rom. in Rub.hoc tit. v.hoc autem.*

Pignat tom. 4. conf 31. Curati ſingulis octo diebus Sacramentum renovent, veteri, cum ejus fragmentis conſumpto, invigilando, ut lampas jugitèr accenſa noctu, dieque permaneat ante Tabernaculi Altare.

Quoties Sacramentum in proceſſionibus, *Rit. Roman. in Rub. hoc tit. v. Parochus igitur.* ſivè pro viatico ad infirmos defertur, fiat cum umbella, laternis, & luminibus cereis in numero decenti; & Sacerdos illud deferens ſit alba, vel ſuperpelliceo indutus cum pluviali, vel ſaltem habeat velum oblongum ſuper humeros, cujus extremitates poſſint Sacerdotis manus velare.

Antequam Curati parvulos ad Sacramentalem Comunionem admittant, illos inſtruant de miſterio, & veritate tanti Sacramenti, & pueris ſint ætate duodecim annorum regularitèr; niſi malitia ſuppleret ætatis defectum.

Sacramentum Euchariſtiæ non deferatur ad domos particulares, niſi neceſſitas infirmitatis urgeat. Nec Parochi admittant ad quotidianam Communionem ſub ſpecie devotionis, maximè laicos, ſervata forma Bullæ SS. Domini Noſtri Innocentij XI. F. Rec.

Moneantur generalitèr ſaltèm mulieres partui proximę, ut confiteantur, & ſacra Communione reficiantur in Eccleſia ob imminens mortis periculum.

Sacroſancta Euchariſtia in nullis Eccleſijs publicè exponatur abſque noſtra licentia.

De

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

CAPUT NONUM.

CUm hoc Sacramentum infirmis miniſtrari contingerit, Sacerdos Sacrum Oleum deferens decentèr indutus, Cruce ſine haſta præcedente, capite detecto incedat; niſi temporis improbitate, vel aliqua alia cauſa excuſetur, ſaltem cum uno lumine, devotè recitando Pſalmum Miſerere &c. comitante Clerico cum Aſpergillo, & Rituale, vas ipſo deferente cum Oleo ſerico velo, violacei coloris ſuperpoſito. *Rit.Roman. hoc tit. in Rub. .convocatisClericis.*

Sacerdos hoc munus aggrediens intentionem habeat conferendi hoc Sacramentum, etiam in prima unctione, ſi morte ſuperveniente, ſingulas unctiones complere nequeat. *Rit.Roman. loc cit. .antequamParochus.*

In miniſtratione hujus Sacramenti Sacerdos hortetur ſingulos adſtantes, ut pro infirmi ſalute, flexis genibus, Deo preces afferant; Et ipſe attentè formã proferendo ſimul inungat, itaut habeatur; ſimultas continuata formæ cum materia.

Quando tempus, & infirmi capacitas permittit, Sacerdos ante collationem iſtius Sacramenti explicet infirmo virtutem,& efficaciam illius, ut ea monitione,magis diſponatur ad illius gratiam ſuſcipiendam. *Catech. Roman. p. 2. c.6.n.12.*

Extrema unctio non conferatur; niſi exiſtentibus in articulo mortis, & tantummodo ſemel in eadem infirmitate, & cum periculum probabilitèr imminet; non expectet Curatus extremam unctionem deferre poſt deperditos

 ſen-

fenſus; ſi in miniſtrando infirmus moriatur, deſiſtat, nec ampliùs proſequatur; ſi tamen dubitaretur an ſit mortuus, dari poterit ſub conditione, nempe: ſi es vivus per iſtam ſanctam Unctionem &c.

Antequam Parochus, vel alius Sacerdos infirmos roboret iſta ſacra Unctione, diligentèr curet, ut Infirmus Confiteatur, & Comunicet per Viaticum; niſi extrema neceſſitas hoc non permiſerit: quo caſu petat ſolùm ſigna contritionis: ſi non voce, ſaltèm per ſigna; & ſi iſta haberi nequeant propter ſenſus omninò deperditos, inungat; dummodo infirmus non ſit impęnitens, vel publicus peccator, vel damnatus ad mortem, vel puer uſu rationis carens, vel tempore interdicti.

Mutilatus aliquo membro principali, in quo fieri ſolet Unctio, inungatur in parte propinquiori membri, quod deficit: Cęcus autem, ſurdus, & mutus à nativitate ungatur in loco, ubi unctio fieri ſolet; nam ſi ipſorum ſenſuum non habuit, habere potuit deſiderium abutendi illis ſenſibus.

Simul cum Viatico Parochus deferre poteſt Oleum Sacrum; quoties dubitaret tempus non ſuper futurum ad iterum aſportandum illud: Itaque poſt traditum Viaticum, ſtatim infirmum inungat: ſed prudentiùs erit ſecum alium Sacerdotem adducere ad tale Sacramentum miniſtrandum.

Miniſtretur hoc Sacramentum à Parochis cum infirmis mens, & ratio viget, & cum cognoverit morbum ingraveſcere. Hortentur illos, ut deſiderio hujus Sacramenti recipiendi ardeant; cum non animæ ſolùm; ſed etiam

cor-

corpori, si fuerit expediens, salutem conferat.

Eos, quibus Sacra Hostia ob teneram ætatem conferri non potest, si judicio prudentum læthalis culpæ sint capaces hoc Sacramento roborent, exclusis tamen impœnitentibus, vel mortali culpa, seù excomunicatione decedentibus.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT DECIMUM.

EXaminatores caveant, ne quod, vel minimum ab ordinandis, vel eorum intuitu accipiant propter approbationem, nec curati ob denunciationes in Ecclesia pro eis habitas.

Prima tonsura initiandi, obtenta à Nobis licentia pro denunciationibus habendis in Ecclesia, illis completis, producant ad Nos juratam fidem à Parocho loci juxta formam pariterque à ludi Magistro, sub cujus disciplina humanis literis vacant de eorum vita, & moribus, & de sufficienti patrimonio, vel beneficio doceant, quod patrimonium non sit fictum, vel in præjudicium, cujus habeat legitimam possessionem, & ejus redditus sint sufficientes ad formam Sacri Concilij Tridentini, & hoc constet per Testes à nostra Curia examinandos.

Et ut omnis fraudis suspicio arceatur; edictum publicum in solitis locis Ecclesiæ per dies octo affigendum toti Populo innotescat, in quo habeatur descriptio valoris, & redditus patrimonij supradicti, & illud ad Nos cum relatione Parochi iterum transmittant. Beneficium sit ad congruam substentationem sufficiens.

Qui

Qui decimum octavum annum excesserit, & initiari desiderat, fidem adhibeat secularis Curiæ probantis; eum non esse inquisitum, contumacem, vel ipsi Curiæ debitorem.

Clerici antequam ad Subdiaconatum promoveantur, præter eorum vitæ probitatem, & doctrinæ sufficientiam, Nobis iterum constare faciant eorum patrimonium, ut jam in prima tonsura, ritè exhibitum, vel beneficium Ecclesiasticum, si quando habuerint.

Sacerdotes novelli, ordine Sacerdotali suscepto, non audeant Missam celebrare, quin priùs à Nobis delegando cęremoniarum Præfesto approbati, licentiam in scriptis obtineant, sub pœna suspensionis, & aliis nostro arbitrio reservatis.

Initiati prima tonsura illicò superpelliceum, & biretum sibi conficiant, & cum decenti habitu, & collare, debitaque tonsura semper incedant, potissimùm cum accedunt ad Ecclesiam, ut ita possint decentèr illis inservire, & Sanctissima Sacramenta frequentent, & alia adamussim observent, quæ in fra mandabimus de vita, & honestate Clericorum.

Non admittatur aliquis ad Sacros Ordines, nisi priùs adimpletis exercitijs spiritualibus per decem dies, & docuerit de servitio Ecclesiæ, de frequentatione Sacramentorum, de exercitio doctrinæ Christianæ, & de frequētatione scholę.

Nullus promovebitur ad Ordines Sacros; nisi pacificè possidens beneficium, cujus redditus annui pertingant summam ducatorum viginti quinque, deductis oneribus, juxta consuetudinem Abbatialis Jurisdictionis. Si verò ob utilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ aliquis promoven-

vendus ſit, poſſideat patrimonium ejuſdem redditus, liberum, non litibus obnoxium, oneri, hypothecæ, vel æri ſuppoſitum.

Ut fraudes arceantur, quæ ab aliquibus ſolent committi in patrimonijs conſtituẽdis, omnibus, & ſingulis, qui promoventur ad quoſcumque Ordines ſtrictè præcipimus, ne ullo pacto falſum, fictum, aut fiduciarium patrimonium exhibeant ſub pœna interdicti ab exercitio Ordinum ſuſceptorum nobis reſervata. Conſtituentes, aut cooperantes, ſivè conſulentes, & quomodolibet in his concurrentes, volumus excomunicatione ipſo facto nobis reſervata innodatos.

Promoti ad Sacros Ordines abſque ſufficienti patrimonio noverint eſſe ſuſpenſos, ideò ſaltem à Sacra Pœnitentieria ſecreta diſpenſationem obtineant.

Initiandi ad primam tonſuram, ſeù ad alios ordines promovendi literas commendatitias Principum, ſeù aliorum ſimilium, vel commendationes non procurent, alioquin ex hoc ipſo pœnitùs excluſi habeantur.

De Sacramento Matrimonij.

CAPUT UNDECIMUM.

PArochorum vigilantia, ſi in omnibus, quæ ad animarum ſalutem ſpectant, ſolertiſſima exquiritur, maxima eſt à dictis Parochis adhibenda in matrimonio conjungendis, ne eorum incuria, aliquod matrimonium fieri contingat de jure prohibitum. Quod ſi unquam accidat ex eorum defectu, præter divinam

vinam vindictam, noverint, à Nobis gravibus pœnis puniendos. Proindè studeant, ut omnia impedimenta perfectè cognoscant. Quoties de impedimento matrimonij, licèt leve dubium ortum sit, non procedatur ad contrahendum illud de præsenti absque nostra licentia, & cum absque præsentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de ejusdem Parochia, vel nostra licentia de præsenti contractum sine duobus Testibus, nullum sit, licèt copula intercesserit. Nemo præsumat ad similem contractum procedere, alitèr Canonicis censuris, & pœnis à Nobis acritèr punietur: Et Curatus non procedat ad convalidationem similis contractus matrimonij; quin priùs à Nobis fuerit super nullitatibus judicatum.

In denunciandis matrimonijs explicet Parochus, non solùm nomen, & cognomen sponsorum, cum nominibus, & cognominibus eorum, & Parentum; sed exprimatur nomen, & cognomen præmortui viri, vel uxoris, si alter, vel uterque eorum fuerint vidui: pariterque nominetur Patria, & cujuslibet Parochia, ad hoc, ut impedimenta faciliùs dignoscantur, monendo Populum de obligatione denunciandi quæcumque fuerint impedimenta.

Quoties ex consensu sponsorum, vel eorum Parentum sponsalia dissolvēda erunt ex qualibet causa, colore, vel prætextu, hoc non fiat sine nostra expressa licentia. Caveant propterea tam Parochi, quàm quilibet Sacerdos, vel Hostiarius, ne se ad hoc intromittant, sub pœnis, & censuris nostro arbitrio reservatis.

Post

Post primam, vel secundam denunciationem Parochus hortetur sponsos, ut tribus, vel duobus diebus antequam ad eorum matrimonij celebrationem accedant, confiteantur, ne sacrilegium committant, si in gravi peccato fuerint in contrahendo.

Matrimonium non celebretur in eadem die ultimo denunciationis, nec literæ testimoniales expediantur; & ipsæ denunciationes non fiant tribus diebus festivis continuatis, ut impedimentũ extans possit detegi, nisi fuerit ultima dies ante Cineres, vel Adventum, in quo casu Curatus monere Populum teneatur, ut citò denunciet, explicando urgentiam celebrationis.

Si fortè post habitas denunciationes per duorum mensium spatium, matrimonium non celebrabitur, denuò fiant denunciationes, vel una saltem in utràque Parochia, tâm viri, quàm mulieris, juxta Ritualis Romani præscriptum.

Cum exteri prætextu matrimonij in nostræ Jurisdictionis territorium venerint: teneantur fidem matrimonij contracti Parocho ostendere.

Cum primæ nuptiæ fuerint benedictæ, non benedicantur secundæ; nisi uxor non fuerit adhuc benedicta juxta consuetudinem.

Parochi non accedant ad privatorum domos, vel extra Ecclesiam, ut matrimonio assistant, sine nostra licentia in scriptis.

Sponsus, & Sponsa post contracta sponsalia ante matrimonij de præsenti celebrationem inter se solos non conversentur sub pœna rotulorum quinque ceræ albæ, & si copulam habuerint carnalem, vinculo excomunicationis sint ligati, in quam pœnam volumus incurrere Parentes, Affines, Consanguineos, eandem carnalem copulam, cohabitationem, pernoctationem Sponsorum permittentes. Parochis verò

injungimus pro eorum prudentia & officio pietatis, ut semper prædictos admoneant de malis orientibus ex hac causa; Permittimus tamen sponsum posse adire domum sponsæ de licentia Parochi, & præsentibus Parentibus, semel, aut bis.

Pro faciendis attestationibus denunciationũ pro matrimonio contrahendo, Parochi observent instructionem, & formulam in appendice apponendam.

Non administrent hoc Sacramentum Parochi, nisi post Solis ortum, & ante ejus occasum.

INDICTIO
SECUNDAE SESSIONIS.

Reverendissimus Dominus Pater Joseph Vannuttius Vicarius Generalis Abbatiæ Sanctissimæ Trinitatis Militen. in hac Synodo Diœcesana Abbatiali præsidens indicit Sessionem futuram hodiè hora decima nona vespertina, ac propterea si aliquis discedit ex hoc loco, moneatur convenire, sicut omnes, & singuli moneantur ad illam venire, sub pœnis in decreto de non discedendo appositis.

SESSIO SECUNDA

De vita, & honestate Clericorum.

CAPUT PRIMUM.

CUM talis quis præsumatur, qualis habitu incedit, ut modestia Clericalis adhuc exteriùs eluceat: Præcipimus omnibus, & singulis in Sacris constitutis, ac etiam Clericis beneficiatis, ut ferant vestes talares, & decentes nigri coloris, excepto casu itineris, & tunc vestes nigræ debent esse saltem usque ad genua. Item prohibemus eisdem supradictis, ne comas nutriant; sed semper tonsuram deferant, quam ordo cujuscunque requirit, sub pœna ducatorum trium pijs usibus &c.

Clerici inferiores, cujuscunque sint gradus, ferant similitèr habitum, & tonsuram, prout decet eorum ordinem; Et qui non sunt Sacerdotes singulis saltem mensibus Confiteantur, & Sacra Comunione reficiantur, sub pœna arbitrio Nostro.

In minoribus Ordinibus constituti, & prima tonsura initiati habeant singuli superpelliceum, & biretum, quibus induti, saltem diebus festivis, Divinis inser-

serviant; Et si quis eorum illis careat, infra mensem sibi procuret, sub pœna rotulorum quinque albæ ceræ laboratæ pijs usibus &c.

Omnes, & singuli Clerici Cęlibes nostræ Abbatialis Jurisdictionis in diebus Festivis, & Dominicis assistere debeant processionibus, etiam funeralibus induti superpelliceo, & bireto; Clerici autem conjugati in processionibus, & majoribus solemnitatibus, qui omnes similitèr teneantur in diebus ferialibus cujuscunque hebdomadæ Missis inservire, prout reperiuntur in tabellis adnotati, tàm in Parochialibus, quàm in alijs Ecclesijs, sub pœna rotulorum quinque ceræ albæ laboratæ pijs usibus, & si pertinacitèr desistant, se intelligant privatos fori privilegio juxta Sacri Tridentini Concilij statuta.

Ut Sacri Canones asserunt, Clericorum arma, debent esse lachrymæ,& Orationes; quapropter ad raffrenandam aliquorum licentiam, qui arma præ oculis habent in omnibus actionibus, ut apertè experti sumus: præcipimus, ne quis arma quæcunque deferat, tàm ad offensam, quàm ad defensam, sub pœna ducatorum decem pijs usibus &c. Si verò arma sint prohibita, sciant omnes, pœnam excommunicationis nobis reservatæ ipso facto incurrisse; & si in fraganti depræhensi sunt, si nobiles ad pœnas ducatorum bis centum, & in subsidium exilij per duos annos; si verò ignobiles ad pœnas triremium per tres annos sint ex tunc condemnati. Si tamen per testes idoneos duos, vel tres Nobis constiterit prædicta prohibita arma gestasse pœnam ducatorum centum solvere tenetur, ad quod procedi per nos possit, non solùm ad partis instantiam; verùm etiam ex officio, & per inquisitionem.

Ut in nostra Abbatiali Jurisdictione, tàm in Parochis, quàm in Sacerdotibus sacra, & moralis augeatur

tur ſcientia, quæ ad Confeſſiones audiendas maximè confert: Mandamus omnibus Parochis, ut ſingulis menſibus habeant in ſua Eccleſia, aut in loco ſibi benè viſo conferentias caſuum conſcientiæ in aliqua Dominica, aut commodiori die.

Conferentijs hiſcè omnes Sacerdotes aſſiſtant, & Clerici habiles. Si quis ex Sacerdotibus ſine cauſa, & licentia abſuerit, teneatur ſolvere decem carolenos; ſi autem ex Clericis, ut ſupra, quinque carolenos; applicandos emptioni librorum moralium; & Parochi teneantur de hujus decreti obſervantia Nos ſingulis menſibus docere ſub eadem pœna.

Revocamus omnes licentias ferendi arma quocunque titulo hactenùs conceſſas.

Sacerdotes, etiam Curati, aliique Clerici Abbatialis Juriſdictionis non retineant domi mulieres extraneas minores annorum quinquaginta circitèr abſque noſtra licentia in ſcriptis ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto &c. & alijs noſtro arbitrio; dummodò non fuerint conſanguineæ, vel affines in primo, vel ſecundo gradu tantùm.

Mandamus ſingulis noſtræ Juriſdictionis ſubditis, nè ludant aleis, taxillis, aut quovis alio ludo prohibito, nec ita ludentes ſpectent, vel eis commoditatem præbeant ludendi ſub pœna ducatorum decem pro medietate denunciatoribus, & alia locis pijs applicanda.

Caveant omnes prædicti, potiſſimum Sacerdotes, ingredi domum, ſivè habitationem alicujus meretricis, vel mulieris inhoneſtæ, ſeù male redolentis, tàm die, quàm noctu; nec ipſas admittant in domum propriam; nec etiam in eandem domum ingrediantur, ſub prætextu adminiſtrationis Sacramentorum, excepto caſu neceſſitatis, ſub pęna ducatorum quindecim pijs uſibus &c. ſex menſiũ carceris, & alijs &c.

Pro-

Prohibemus omnibus Præsbyteris, etiam beneficiatis, tàm cum cura, quam ſine cura, ac Clericis in minoribus, ne poſſint contra quoſcunque in laicalibus foris quærelam criminalem exponere, in eoſdem teſtimonium ferre, & pro alijs fidejubere ſine noſtra licentia in ſcriptis gratis concedenda, ſub pœna rotulorum quinque ceræ albæ laboratæ pijs uſibus &c.

Caveant Perſonæ Eccleſiaſticæ, ne exerceant artem ſordidam ſtatui Eccleſiaſtico indecentem, vel negotiationes, nec minùs ſecularibus patronis inſerviant; niſi ex licentia, cauſa nobis cognita, juxta Sacrorum Canones ſanctiones. Nec in agris colendis, fructibuſque colligendis cum operarijs ſimul laborent, vel publicè ſub pœna ſuſpenſionis.

De Curatis, & alijs Beneficiatis.

CAPUT SECUNDUM.

Parochi in proprijs Eccleſijs Parochialibus, alijſq; ſibi ſubditis prælationem habeant in celebrandis Miſſis Cappellarum, & beneficiorum, cujuſcunque qualitaris ſint, prout de jure, & per Sacræ Congregationis Decreta pluries decretum, & ſancitum fuit.

Singuli Eccleſiarum Rectores curent notitiam habere de omnibus legatis pijs ad favorem Eccleſiarũ, ſeù miſerabilium perſonarum, & debitam ſatisfactionem ab Hæredibus procurent, & inobſervantes, vel ſatisfacere retinentes Nobis denuncient.

Beneficiati, tàm cum cura, quàm ſine cura, etiam Jura patronatus obtinentes, infra ſex menſes teneantur facere diſtinctam notam, ſeù plateam bonorum omnium, emolumentorum, jurium, & actionum ad eorum Eccleſias pertinentium, cum diſtincta adnota-

notatione locorum, confinium, & personarum actu possidentium. Et in posterum eadem renovetur singulis annis decem, & hoc sub pœna suspensionis, & Nostro arbitrio.

Ut bona Ecclesiarum conserventur pro augmento divini cultus; præcipimus, ne Rectores cujuslibet Ecclesiæ, sivè quorumcunque beneficiorum possessores, & eorum Patroni audeant cędere, vel extirpare arbores existentes in illorum territorijs, nec ab alijs hoc fieri permittant sine nostra licentia; nisi fuerint omninò aridæ, seù siccæ, & infructiferæ sub pęnis à jure statutis, & alijs nostro arbitrio. Immò teneantur loco siccarum alias subrogare, & domos reparare.

Singuli curam habentes animarum, teneantur personalem, & continuam in eorum Parochijs residentiam facere, nec indè discedant, sine nostra licentia in scriptis, nisi ad breve tempus, vel ex urgente negotio, relicto tamèn idoneo substituto à Nobis approbando, sub poenis à Sacris Canonibus, & Tridentino Concilio constitutis, alijsque Nostro arbitrio reservatis.

Nemini Sacerdotum permittatur, tàm in absentia, quàm in præsentia Parochi Sacramentorum administratio; nisi priùs à Nobis fuerit approbatus, & de licentia etiam Rectoris sub pœna Nostro arbitrio reservata.

Invigilent Parochi, ut cum fuerint capaces sui Parochiani, Sacramenta percipiant; potissimùm, ut eis suo tempore sine dilatione Eucharistiæ, & Confirmationis Sacramentum ministrent;

Omnes Rectores, Curatos Nostræ Jurisdictionis, Vicarios foraneos constituimus, unumquemque in sua Parochia. Qui propterea teneantur in casibus delictorum occurrentibus, Nos statim certiores redde-

re,

re, & quoties dilatio præjudicium afferat, informationes accipere, & quamprimùm ad Nos transmittere.

Nullo modo extra Ecclesias Parochiales permittant Cappellanos, Beneficiatos Sacerdotes Missam cantare, & candelas, cineres, palmas benedicere, aut functiones quascunque cum stola, & si aliquis hoc attentaverit absque Nostra licentia, & Parochi consensu ultra pœnas à Jure statutas, sciant alijs pœnis Nostro arbitrio puniri.

Habeant libros pro bona directione animarum, & pro debito munere adimplendo.

Ad usum Ecclesiæ habeant etiam libros baptizatorum, matrimoniorum, defunctorum pergamenis opertos, in quibus notent annotanda ad præscriptũ Ritualis Romani. Non utantur notis aritmethicis, sed diem, mensem, & annum literis extensis conscribant; At singulas tamen paginas numerum aritmethicum perscribant. Veteres autem si sunt laceri, & soluti, assuantur, & pergamenis operiantur.

Publicent in die Dominicæ passionis inter Missarum solemnia singulis annis, quod usurpantes, occupantes bona, census, seù jura Ecclesiarum, Confraternitatum, aliorumque piorum locorum sunt excomunicati excomunicatione Apostolicæ Sedi reservata. Legant etiam Populo Bullam in Cœna Domini, vulgari sermone eam explanantes.

Fiat tabella Missarum, & anniversariorum ad præscriptum decreti Sacræ Congregationis, in qua distinctè describantur onera Missarum celebrandarũ, & affigatur in sacristijs Parochialium; ubi etiam habeatur liber, in quo dietim Sacerdotes, etiam illi, qui in alijs Ecclesijs celebrant, adnotent Missas quas celebrant, in quo altari, in qua Ecclesia, pro cujus anima, sub pœna amissionis elemosinæ, & si quis falsò

sub-

ſubſcribat, ſit ſuſpenſus illicò à Divinis: & hunc librum Parochi diligentèr cuſtodiant, & quolibet anno renovent.

Parochi etiam, quorum teſtimonium debebunt omninò exhibere promovendi ad Ordines de ſervitio præſtito Eccleſiæ, de frequentia Sacramentorum, de vita, & moribus, ac de exercitio doctrinæ Chriſtianæ, fidelitèr ſeſe in hoc munere gerant, aliàs ultra gravem reatum, quem coram Deo contracturi ſunt, pœnis Noſtro arbitrio punientur: quare in margine atteſtationis, quam ſunt daturi, præſertim de exercitio doctrinæ Chriſtianæ adnotent, ſi promovendus defecerit aliquando, & quoties, necnon ad aſſiſtentiam præfatis omnibus per ſingulas Dominicas regiſtrandam, librum ad id ordinatè compactũ, habeant.

De Beneficijs.

CAPUT TERTIUM.

SI contingerit aliquem beneficium obtinere per reſignationem, teneatur in Eccleſia publicationem facere, juxta diſpoſitũ per Bullã Gregorii XIII. aliàs collatio ſit ipſo jure nulla, & proviſi teneantur ad perceptorum fructuum reſtitutionem.

Beneficiati invigilent in cuſtodiendis bonis, & juribus ſuarum Eccleſiarum, nec permittant ab alijs uſurpari, ſivè occupari; & uſurpata, vel occupata, ſeù malè alienata quam primum revocent. Similitèr cuſtodiant ſcripturas, & ſi quas occupatas cognoverint ſedulò recuperare ſtudeant, ad Nos pro opportuno remedio recurrendo. Eccleſiæ neceſſaria faciant, eaſdem reparent, mundaſque conſervent.

Locatio bonorum Eccleſiarum non fiat ultra triennium, vel ultra tres fructus collectiones, quo caſu li-

ceat locare per sex annos secundum communem. Et in casu contrarij sciant canonicas pęnas se invasuros.

Bona stabilia Ecclesiarum, vel prætiosa non alienantur à Beneficiatis sine Sacræ Congregationis, vel Nostra in terminis juris licentia. Nec arbores fructiferæ cędantur, vel evellantur (nisi fuerint infructuosæ, vel inutiles) nobis priùs consultis. Aridis verò incisis, novæ loco earum subrogentur juxta Canonicas sanctiones.

Patroni alicujus Ecclesiastici beneficij, seù qui jus præsentandi habent, tale jus non cedant alteri sine Nostra licentia, & cessio alitèr facta, nulla censeatur, prout jura ipsa decernunt.

Supradicti non se immisceant in alienatione, usu, administratione, seù perceptione fructuum bonorũ Ecclesiæ, sivè Cappellæ sui patronatus; aliàs priventur ipso facto jure quæsito juxta statuta per Sacrum Concilium Tridentinum.

Ut omnis suspicio Simoniacæ labis in beneficiorum præsentatione, collatione, &c. arceatur. Patroni se abstineant à qualibet pactione, promissione, retentione, remissione, compensatione, aut confidentia cum præsentando; & si aliqua prædictorum inter præsentantem, & præsentatum intercesserit; hujusmodi præsentatio sit nulla. Idemque observetur inter resignantem, & resignatarium, sub poenis per Bullam Pij IV. & Pij V. impositis.

Inhabiles ad beneficia præsertim curata declaramus eos omnes, qui ad vacantis beneficij provisionem obtinendam literas commendatitias, seù intercessiones procurant, vel qui munera Nostris Examinatoribus, vel alijs Ministris largiuntur, firmis remanentibus poenis à Jure statutis.

De

De Laicorum Confraternitatibus.

CAPUT QUARTUM.

BOna ex piorum dispositione Ecclesijs, pijsque locis acquisitis, ut plurimum ex mala administratione hominum perditæ conscientiæ dissipantur, & pereunt: Idcircò præcipimus, ut cujuscunque Ecclesiæ Confraternitatũ, seù Cappellæ eligantur Magistri, & Procuratores Homines prudentes, timoratæ conscientiæ, qui habent sufficiens patrimonium in stabilibus, quorum electio si alitèr fiat, sit nulla, & invalida, nec prædicti se immisceant in administratione; nisi fuerint priùs à Nobis confirmati per patentes literas gratis concedendas, ut singulis mensibus scribere curent in speciali libello notam introitus, & exitus, & observent instructionem de hac re à nobis datam.

Cappellani, seù Sacerdotes stipendiati à Cappellis pro celebratione Missarum in Procuratores, & Magistros nullo modo eligantur, nisi priùs nobis constiterit aliqua ex causa id expedire.

Debitores Confraternitatum, aliorumque piorum locorum, ~~non possint eligi Procuratores, aut~~ officiales, quamdiù integrè non satisfecerint, sub pœnis Nostro arbitrio, & electio sit nulla.

Non præsumant Laici instituere novas Confraternitates Laicorum, aut Cappellas, aut aliquid ad usum pium sine Nostra licentia, quas institutiones, ita factas, nullas, & irritas declaramus.

Confratribus, Procuratoribus, aut Magistris non licet facere convivia de introitibus Confraternitatis; sed si quid ex consuetudine hactenùs impendendum consuevit, sollemnitati assistentibus, domum mit-

tatur, ne ex convivijs (pro ut solet) jurgia oriantur.

Nullus prædictorum audeat exigere quidquam à debitoribus Cappellæ, cui inservit pro celebratione Missarum absque assignatione priùs facta à Procuratoribus, quorum debitorum nomina non recusent, sub pœna amissionis mercedis.

Singulis quinquennis Magistri, & Procuratores Congregationum, sivè Cappellarum invigilent pro confectione novi inventarij, notæ, seù plateæ omniũ stabilium, mobilium, & censum, quorum exemplarium ad Nos transmittant; & nominum debitorum adnotatio singulis annis tradatur successoribus.

Administratores, seù Procuratores Congregationum, & Cappellarum teneantur singulis annis novum administratorem, seù Procuratorem eligere, & legitimam electionem ad Nos trasmittere, & ritè electi, à Nobis confirmentur, & in actu contrarij electio sit nulla, nec priùs possessionem capiant; nisi post nostram confirmationem in scriptis habitam.

Qui bona Ecclesiastica administraverunt, in fine administrationis teneantur reddere rationem sui administrati in manibus à Nobis deputandorum sub pœna arbitrio Nostro.

Procuratores, Officiales cujuscunque Confraternitatis, seù Cappellæ, si à debitoribus ultra duos annos non exigant census enfiteuticos, bullales, affictus, vel aliquid aliud debentibus, & solvere retinentibus, sub pœna solvendi de proprio, & liberationes non obtinendæ, Nos certiores facere teneantur ad hoc, ut debitis remedijs ad satisfactionem eos compellamus.

Statuta, regulæ, seù pacta in Confraternitatibus, quæ non fuerint à Sancta Sede Apostolica, & à Prædecessoribus nostris, vel à Nobis approbata, nulla, & invalida sint.

Libri

Libri Majores, & Plateæ, atque aliæ ſcripturæ ad Cappellas, & Confraternitates ſpectantes, ubi non adeſt propria arca, conſerventur in domibus Parochorum, ne deperdantur, & omnis fraus tollatur.

De Cultu, & Veneratione Eccleſiarum.

CAPUT QUINTUM.

Eccleſia, uti locus, in quo Chriſtus inhabitat, adeo terribilis eſt, ut domus Dei appelletur, ita ut, omne, quod non eſt ſanctitas dedeceat in ea. Idcircò volumus, & mandamus Canonicis ſanctionibus inhærentes,ut nemo præſumat in ea tumultus, circulos, vociferationes, & ſtrepitus facere, per eam deambulare, aut ſecularia negotia peragere, nec in Sachriſtia, vel Choro ejuſdem. Et caveant ſuper omnia, ne quid turpè faciant, aut mulieres ſuſpectas alloquantur; Et in Eccleſia exiſtente, terga non vertant ad Sanctiſſimum Sacramentum: potiſſimum, dum celebratur Miſſa, prædicatur, vel divina officia peraguntur, ſervetur ſilentium, ne geſtu, tumultu, aut vociferationibus divina impediantur.

In circumferentijs Eccleſiæ intra ſpatium à Rectoribus præſcriptum non teneantur ſtabula quorumlibet animalium, ne ſtrepitu, fetore, vel immunditia locum Sacrum, & in eo exiſtentes lædant, vel illi indecentiam faciant, ſub pœna rotulorum quinque ceræ albæ laboratæ pijs uſibus &c.

In januis, aut parietibus Eccleſiæ nemo præſumat ludere pila, aleis, ſivè taxillis, nec per tres paſſus circa Eccleſiam, maximè cum celebrantur Divina Officia, ſub pœna rotulorum quinque ceræ albæ laboratæ, & in juris ſubſidium excomunicationis.

Intus Eccleſiam non permittant Parochi deponi, con-

conservanda ligna, calcem, vel lapides, aut quolibet aliud usui Ecclesiæ non necessarium, vel indecens. Et nemo audeat uti instrumentis Ecclesiarum ad profanum usum, sub pœna excomunicationis.

Ecclesiæ pavimenta, pariete, Sacræ Immagines, & Altaria teneatur munda ab omni immunditie, pulvere, telis araneis, omni, qua decet diligentia; & sepulturæ operiantur clausuris lapideis, calce superposita in fixuris, itaut fętor indè Ecclesiam non inficiat.

Si fortè contingerit, aliquam Ecclesiam esse pollutam quacumque ex causa in Jure expressa, nullus Sacerdos ante reconciliationem audeat in ea Missam celebrare, vel alia divina officia peragere.

Aqua benedicta conservetur in singulis Ecclesijs in vase lapideo mundo,& integro,ne aqua inde affluat, quæ renovetur singulis octo diebus, & benedicatur juxta formam Ritualis Romani.

In Ecclesiarum Sacristijs sit lavacrum, & linteolum appensum mundum,ad lavandum,& extergendum manus ob Missæ celebrationem.

Tabella affixa perpetuò habeatur in Sacristijs Ecclesiarum, ubi onera Missarum habeantur cum expressione diei, pro cujus suffragio, vel anima celebratur.

Sacra supellex describatur, & ejus inventarium servetur in Sacristijs, in quibus ipsa conservatur.

Comperimus non sine Ecclesiarum deturpatione, & earum dedecore in eis pavimenta valdè deturpari,& frequenti fractione pro cadaveribus tumulandis. Propterea mandamus, ut nemo præsumat sine Nostra licentia pavimentum ipsum rumpere, etiam si aliàs pro aliquo de familia fuerit obtenta.

Diebus Dominicis, & festivis nunquam in inferioribus Ecclesijs pulsentur campanæ, etiam si Missa

dica-

dicatur, de Nostra licentia tamen, ante Parochialis Missæ confectionem, sub pœna interdicti ipsius Ecclesiæ, & suspensionis celebrantis ipso facto, reservata, si pulsata campana audeat celebrare, vel absque ea sine Nostra licentia. Volumus tamen, ut post Missam Parochialem triplici ductu pulsentur campanæ, ut ille, qui Parochiali Missæ non interfuit, commodiùs huic intersit.

Cum Nobis constet ob accelerationem Sacerdotum in celebrandis Missis Dominicis, festivisque diebus cum Missam celebrent, vel tempore Parochialis Missæ, vel saltem post elevationem Sacramenti nonnullos, qui impedimento detenti Parochiali Missæ interesse nequierunt, præcepto audiendi Sacrum non satisfecisse. Hac præcipimus, quod in his diebus in Parochiali Ecclesia saltem una Missa hora ante meridiem dicatur à Sacerdotibus alternatim ex ijs, qui Missas Confraternitatis, vel publicæ Cappellæ habent, sub pœna amissionis mercedis illius diei. Et si Missæ sint liberæ per hebdommodam, statuatur per Parochum una singulis diebus Dominicis, & altera festivis ad Populi commoditatem ob observantiam præsentis constitutionis.

Nullus audeat ignitos sclopos explodere, rixas in Ecclesijs excitare, aliquem percutere, vulnerare, vel occidere, atque eas ingredi cum scupictis, vel armis prohibitis; sed priùs ante januas deponat.

Colloquia ante fores Ecclesiæ, & eo magis in ipsa Ecclesia non fiant; nec etiam per viginti passus venalia exponi, ludos exercere, triticum tritare, & alia exercitia exercere divina officia perturbantia, & Ecclesiæ decorem, ornatumque deturpantia omninò prohibemus. Accedentes ad illas modestè, & decenti habitu ingrediantur capite denudato, & omninò sine pilielo lineo albi coloris permaneant; præsertim

tem-

tempore divinorum officiorum. Monentes Rectores de transgressoribus Nos certiores reddere, ut quod in Domino cernimus, expediamus.

De Celebratione Missarum.

CAPUT SEXTUM.

OMnes, & singuli Sacerdotes Nostræ Abbatialis Jurisdictionis in celebrationem Missarum observent Rubricas Missalis Romani, illis diligentèr studendo, itaut eorum contemptus, vel abusus non detrahant quidquam cultui, & venerationi, tam tremendi Sacrificij. Quapropter secreta submissa voce proferant; itaut nequeant à circumstantibus audiri; cętera verò alta, clara, & intelligibili pronuncient: potissimum in Canone sint intenti, ne, vel minimam partem, seù literam prętermictent: cum verò venerint ad formam consecrationis, verba illius articulatè, cum distinctione, & debita attentione proferant, non affectatè in pronunciatione alando super Ostiam, vel Calicem.

Sacerdotes nostræ Abbatialis Jurisdictionis non assumant onus celebrationis Missæ quotidianæ; nisi saltem vacent semel in hebdommoda. Cęterum observentur præscripta Bullæ Urbani VIII. de celebratione Missarum.

In nostra Abbatiali Jurisdictione nequeant exteri Sacerdotes Missas celebrare, vel alia Sacramenta ministrare sine Parochi licentia; nisi fuerint per transitum, & ipsis Rectoribus cogniti cum ejusdem licentia: si verò fuerint adeò incogniti, & residendo in Nostra Jurisdictione celebrare velint, ostendant literas dimissoriales suorum Ordinariorum à Nobis recognoscendas, & approbandas sub pœna excomunicationis, & alijs Nostro arbitrio.

Man-

Mandamus, ut nemo maximè Mulierum omittat audire Sacrum in diebus festivis de pręcepto sub prætextu luctus cognatorum, aut aliorum; nisi de licentia Parochi, & ad breve tempus, sub pœna excomunicationis.

Cappellani, sivè Sacerdotes stipendiati à Cappellis teneantur assistere in sollemnitatibus Missarum in singulis festivitatibus celebrandis in Parochia, seù Ecclesia, cui inserviunt, & in illis Dominicis diebus. Ubi à Confraternitate introducta est cõsuetudo Missam sollemnitèr celebrandi; paritèrque Confessionibus assistere, cęterisque divinis officijs interesse, sub pœna privationis mercedis, pijs locis arbitrio Nostro applicandæ. Idcircò Procuratores Cappellarum non solvant mercedem prædictis Sacerdotibus, nisi priùs exhibeant Nobis fidem juratam à Parocho de assistentia prædicta.

Clerici, & quicumque ministrantes in Missa, illi inserviant devotè, genibus flexis, præterquam in Evangelio: modestè, & attentè respondeant, distinctèque verba proferant, altari non adhæreant, semper ab eo in debita distantia maneant, & in præbenda aqua manibus Sacerdotis, caveant ne aqua maculet vestes Sacerdotales, vel Altaris ornamenta.

Præcipimus sub pœna suspensionis omnibus, & singulis Sacerdotibus, tàm secularibus, quàm Regularibus, cujuscumque conditionis sint, vel gradus, ne audeant celebrare in Ecclesijs quibuscumque in diebus festivis; nisi post Missam Parochialem, sine Parochi licentia, utpotè, qui tenentur in illis oves suas pascere, prædicando Sancta Evangelia Populo, aliaque, quæ occurrunt, denunciare; Proinde Parochus Missam celebret per duas horas ad minùs ante meridiem, quotiès solemnitas non excusat.

Missæ, & potissimùm in diebus festivis, celebren-

 tur

tur ſucceſſivè una poſt aliam pro majori Populi cõmoditate, itaut nemo Miſſam incipiat; niſi poſt elevationem alterius, expedita jam Miſſa Parochiali, ſub pœnis Noſtro arbitrio reſervatis, & in caſu contrarij, certiores Nos faciant.

Nemo Sacerdotum, præterquam Curatus, vel alius de licentia ejus præſumat, tàm in Parochiali Eccleſia, quàm in alia quavis Eccleſia in celebrando, Populo publicare dies feſtos, vel quodvis aliud, nec Populum aqua benedicta aſpergere, ſub pœna ſuſpenſionis.

Extra Parochialem Eccleſiam nullus Sacerdos audeat; niſi Parochus candelas, cineres, vel ramos arborum benedicere, nec illa, licèt à Parocho benedicta, Populo diſtribuere, ſub pœna ſuſpenſionis.

Sacerdotes caveãt, ne celebrent Miſſam in Feria 5. vel Sabbato Sancto majoris hebdomadę, præterquam Curati. Nec etiam fiant ſepulchra extra Eccleſiam Parochialem. Item nullibi novena de novo celebrari incipiat; niſi hoc fuerit ex conſuetudine hactenùs introductum ſine Parochi conſenſu, & de Noſtra licentia, ne Populus divertatur à devotione debita Matrici Eccleſiæ; & hoc ſub pœna excomunicationis contra alitèr præſumentes.

Tenetur Sacerdos in eo altari Miſſam celebrare, cui onus eſt annexum, nec diem à Fundatore præſcriptum immutare poteſt, etiam prætextu alteri Eccleſiæ inſerviendi.

Sacerdos, qui Miſſam celebrandam ſuſcipit, certa elemoſyna ſoluta, non licèt eandem alteri committere, retenta ſibi parte prædictæ elemoſynæ, alioquin ultra lethale peccatum, ſciat ad reſtitutionem teneri.

Sacerdos, cum ad conficiendum Sacrum proficiſcitur, præoculis habeat, filium Dei ibi immolari; & proinde non ſolum intrinſecus, ſed etiam extrinſecus

ſecus debet, quantum poteſt, eſſe compoſitum, opus ſupra Angelos exercendo. Ideò præcipimus nullum audere ad Sacrum celebrandum accedere; niſi ſit indutus veſte talari, vel quæ ſaltem genua coperiat, & cum collare, ſub pęna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda.

Cum in Noſtra Majori Abbatiali Eccleſia ex tempore inveterato, laudabilitèr ſervetur, Miſſas jurium patronatuum, & Cappellarum, quæ per ipſos beneficiatos abſentes perſonalitèr adimpleri non poſſint, inter Sacerdotes adſcriptos æqualitèr dividi, ſic ſervari mandamus in omnibus Eccleſijs Noſtrę Juriſdictionis.

Quod obſervari volumus, non ſolùm ex prædicta laudabile conſuetudine; ſed etiam, quia Nobis compertum eſt multas pactiones, etiam illicitas, inter beneficiatum, & Sacerdotes pro Miſſis celebrandis electos, quampluries fieri.

Et quia Chriſtus Dominus ter dixit Petro: *Si amas me, paſce oves meas*; colligimus ex hoc maximum præceptum eſſe animas paſcere; cognitum tamen Nobis eſt in caſalibus, à nonnullis alijs cibum ſpiritualem accipere (ubi Congregationes non ſunt) niſi à curam animarum gerentibus, & hunc commodiùs dare Populo, nullo alio tempore; niſi tempore ſacri: ideò præcipimus, quod nullus audeat aliquo prætextu diebus feſtivis, & Dominicis Miſſam celebrare ante Miſſam Parochialem; ad hoc, ut Populus, non retrahatur à Miſſa Parochiali, in qua poſſit diſcere Evangelij explicationem, jejunia, indulgentias, publicationes Matrimonij, & alia, quæ ediſcenda ei ſunt, ut Sac.Con.Epiſ.ſub die 14.Maij anno 1585. Contravenientes autem, ultra divinam ultionem ſciant, pœna ſuſpenſionis Nobis reſervatæ eſſe irretitos.

De Observantia Festi.

CAPUT SEPTIMUM.

IN diebus Festivis nemo præsumat nec per se, nec per alios opera servilia, negotiationes profanas, merces, seù quid aliud de loco ad locum asportare, nec per homines, nec per bestias sub pœna carolenorum decem singulis vicibus. Si quis in fraganti fuerit depræhensus, cum animalibus oneratis, seù in labore occupatis. Si verò fuerit simplex operarius sex, quarum tertia pars dabitur denunciatoribus, reliquum locis pijs applicabitur.

Permittimus autem, ut de licentia Rectoris loci, possint colligi fructus, qui tempore pereunt, triticum seminare, metere, linum, canapum ex aquis extrahere, cum temporis angustia id expostulabit. Item causa pietatis, vel alicujus necessitatis idem permittatur. Mandamus, ut nemo Curatorum audeat aliquid, vel minimum accipere pro licentia exercendi servilia in diebus festivis; nisi aliquid detur Ecclesijs, seù Cappellis vicinioribus, sive pauperibus; potissimùm à Piscatoribus.

Sub pœna excomunicationis, & alijs Nostro arbitrio præcipimus omnibus; & singulis cujuscunque status, & conditionis extiterint, ne audeant impedire executionem faciendam contra transgressores dierum festivorum.

De

De Præcepto annuæ Confessionis Paschalis, & Communionis.

CAPUT OCTAVUM.

QUoniam ad Parochos omni cura spectat invigilare, ut omnes utriusque sexus fideles rationis compotes, Sacra Communione reficiantur tempore Paschali; ad hoc ne aliquis se occultet, Mandamus, ut post secundam Dominicam quadragesimæ ostiatim unusquisque suæ Parochiæ domos inquirat, & statum animarum conficiat ad formam Ritualis Romani, & ad Nos transmittant copiam; Postea verò ad Sacram Mensam accedentibus, schedulas distribuat per se, vel per Ministrum fidelem, quas completo Paschali tempore, recolligant, & si quos hoc præceptum non explesse compererint, ad Nos deferant infra quindecim dies, & ultra diem Ascensionis non differant, ut in eos nominatim, & publicè Sacrorum Canonum censuris, ac pœnis animadvertere valeamus. Parochi verò, si dictum cathalogum non conficiant, vel non comunicatorum nomina ad Nos non deferant, pœna ducatorum decem volumus eos multari.

Canonicis inhærentes statutis volumus, ut omnes fideles utriusq; sexus Nostræ Abbatialis Jurisdictionis in ætate, qua tenentur, Sacram Communionem recipiant de eorum proprio Parocho, vel à Sacerdotibus ab eo destinatis, quisque in propria Parochiali Ecclesia tempore Paschali. Et si quis fortè ex justa causa à Nobis approbanda extra dictam Parochialem Ecclesiam prædicto tempore comunicaverit, teneatur suo Parocho super hoc fidem ferre, ut cum cœteris communicatis adnotetur.

Quan-

Quando Sacramentum Euchariſtiæ fidelibus adminiſtratur, fiat maribus ſeorsùm à fœminis devotè, decentèr, & non tumultuosè accedentibus.

Tempore Communionis Paſchalis, nullo modo quærantur elemoſynæ vaſculo expoſito, nec directè, nec indirectè.

De Servitio in Divinis.

CAPUT NONUM.

IN Solemnitatibus majoribus, & Feſtivitatibus Titularis Eccleſiæ teneantur ſinguli Sacerdotes, cujuſvis gradus, & conditionis exiſtant, illis intereſſe, tàm in Veſperis, quàm in Miſſarum ſolemnijs, officijs, & proceſſionibus, ſimul cum omnibus Clericis, omnes decentèr induti habitu, tonſura, collare, ſuperpelliceis mundis, & bireto ſub pœna rotulorum trium ceræ albæ laboratæ pijs uſibus, & alijs arbitrio Noſtro.

Clerici initiati, vel in minoribus conſtituti per ſe aſſiſtant, & deſerviant in Eccleſijs eo ordine, quo ſunt in tabellis adſcripti; & in diebus Dominicis, & Feſtis, tàm in majori Miſſa, quàm in alijs divinis officijs; Litanijs etiam interſint ſingulis diebus Sabbati in Eccleſijs, in quibus recitari ſolent, ſub pœna carolenorum quinque pro ſingulis vicibus, & ſi pertinacitèr, & diù hoc facere neglexerint, nullo gaudeant privilegio fori; & Parochi teneantur, quàm ſepè de eorum negligentia, Nos certiores facere, ſub pœna arbitrio Noſtro.

Clerici conjugati ſimilitèr in divinis ſervire teneātur, habitum, & tonſuram Clericalem deferentes, juxta conſuetudinem Bonifacij VIII. Et quiſque eorum ſuperpelliceum, & biretum habeat, aliàs nullo gau-

gaudeant privilegio fori, addita pœna carolenorum quinque pro qualibet vice &c.

Clerici, sive Diaconi silvatici juxta decretum pro Regno Neapolitano editum jussu Gregorij XV. personalitèr, & non per interpositam personã, assistant, & inserviant Ecclesijs, quibus sunt adscripti: & potissimùm pro cadaveribus humandis, sub pena amissionis Bullarum, alijsque Nostro arbitrio reservatis.

Ut addatur stimulus Sacerdotibus Nostræ Jurisdictionis inserviendi divinis officijs; Præcipimus Parochis, ut quolibet anno fiat per ipsos divisio Missarum inter Sacerdotes suæ Parochiæ, habito respectu ad eorum assistentiam, tàm in confessionibus audiendis, quàm in alijs officijs, itaut, qui magis assistunt, majorem habeant portionem, & talis divisio à Nobis approbata, & subscripta servetur in sacristijs. Volumus tamen, ut magis, ac magis in Sacerdotibus amor crescat in divinis, Parochum nullam prælationem habere, sed æqualem portionem.

De Processionibus.

CAPUT DECIMUM.

SAcerdotes omnes, & Clerici inferiores superpelliceis, & biretis induti, & Confratres cum habitu suæ Congregationis, ac etiam Regulares (ubi fuerint) intervenire teneantur publicis Processionibus, ac etiam Clerici conjugati in habitu, & tonsura, superpelliceis similitèr induti, & in his incedendo, se gerant cum modestia, gravitate, absque strepitu, susurratione, &c. sub pœna rotulorum duorum ceræ albæ laboratæ singulis vicibus, & alijs Nostro arbitrio.

Parochi denuncient Populo in solemnitate Missarum in festo præcedenti futuras processiones.

Ne-

Nemo præſumat; niſi Rector Parochialis proceſſiones facere, neque Regulares extra eorum Monaſteria, niſi de ejuſdem Parochi conſenſu, ſub pœna Noſtro arbitrio &c.

Feria quinta in Cœna Domini Proceſſio tantummodò fiat à quolibet Rectore intùs propriam Eccleſiam, & in feſtivitate Corporis Chriſti per loca conſueta ſuæ Parochiæ; nec per alienam progrediatur Juriſdictionem, ſub pœna Noſtro arbitrio &c. Et Proceſſio Sanctiſſimi Sacramenti ſemper fiat poſt celebrationem Miſſæ majoris ſervata forma Ritualis Romani &c.

Campanæ Eccleſiæ, à qua proceſſio diſcedit pulſentur, quamdiù proceſſio ipſa durabit, & cum proceſſio aliquam ingreditur Eccleſiam, illa decentèr ornetur cum luminibus &c. Et ejuſdem campanæ pulſentur quemadmodum aliarum Eccleſiarum, per quas tranſit.

De Exequijs, & Sepulturis.

CAPUT UNDECIMUM.

IN proceſsionibus pro fidelium cadaveribus tumulandis Præsbyteri, & Clerici interveniant induti ſuperpelliceis, & biretis more ſolito, gradatim, & bini modeſtè procedant, diſcedendo ſemper proceſsionalitèr ab Eccleſia Parochiali.

Cadavera Sacordotum deferantur ad Eccleſiam, in qua ſunt ſepellienda induta veſtibus Sacerdotalibus, & ſi fuerint in Sacris conſtituti, indumentis ſacris ad cujuſcumque ordinem pertinentibus; Clerici verò in minoribus, & primæ tonſuræ cum coctis, & biretis juxta Ritualis Romani præſcripta, quæ omnia inviolabilitèr obſervari mandamus.

Quan-

Quando cadavera ducuntur procesſionalitèr ad ſepulturam, non circumferantur ad oſtentationem per vias loci; ſed breviori, & recto tramite de domo, unde exciditur cadaver, ut ducatur ad Eccleſiam, in qua ſepelliendum eſt; Ideoque ſtrictè mandamus, ut id omninò obſervetur; & ſi conjuncti obſtiterint, ſint ipſo Jure excomunicati.

Fęminæ conjunctæ uſque ad primum conſanguinitatis, vel affinitatis gradum non ſocient funus, cum conjunctorum cadavera ad Eccleſiam deferuntur. Nec eo ſe conferant immediatè ante, vel poſt prædictorum ſepulturam, ſub pœna excomunicationis Nobis reſervata. Nec etiam ante januam egrediantur ſuper baram capillos evellendo, unguibus faciem deturpando; ſivè pugnis ſe percutiendo, quarum exceſſus abſolvi nequeant ſine Noſtra licentia.

Non permittatur à Parocho, cadavera fidelium ſepelliri extra Eccleſiæ continentiam, nec proceſſio defunctorum fiat de nocte, ſeu valdè manè, vel ſerò. Nec cadavera prædicta extrahantur de domo ſine licentia, aut præſentia Parochi.

Quando pauper notorius deceſſerit, nec habet unde jus funerum ſolvat, ſepulturæ gratis propter amorem Dei mandetur.

Nemo Parochorum, ſive Regularium aliquem inducat ad jurandum, vovendum, aut ad ſe obligandum pro electione ſepulturæ in ſua Eccleſia, vel ea electa ad illam revocandam, ſub pœnis, & cenſuris à Jure ſtatutis, alijſque Noſtro arbitrio: Standum igitur erit ultimæ electioni morientis, etiam ſi Parochus funeri intereſſe recuſaverit, nec ideò ſepultura retardetur.

Eccleſiaſticæ ſepulturę non tradantur publici peccatores, vel qui præceptum Paſchalis communionis non adimpleverint, ſi ante mortem ſigna contritio-

nis non oſtenderint: Idem obſervetur cum publicè excomunicatis, ſi abſolutionem non obtinuerint à Nobis, vel à Sede Apoſtolica.

Interdicti tempore, laicorum cadavera Eccleſiaſticæ ſepulturæ non mandentur in Eccleſijs; Clericorum verò, qui interdicto paruerint, in Eccleſia ſepelliuntur ſine officio, campanæ ſono, & ſolemnitatibus.

Diſtributio Miſſarum, quæ à moribundis celebrandæ mandantur, æqualitèr fiat inter omnes Sacerdotes, etiam Regulares loci; & hoc, ut earum oblatio, quàm citò habeatur; niſi defunctus coram pluribus alitèr fieri juſſerit.

Parochi nullo modo permittant, cadavera ſepelliri, vel novas ſepulturas conſtrui propè gradus Altaris, ſeù ejus prædellam; niſi in ea diſtantia, quam pluries Sacra Congregatio decrevit.

Cadavera non tradantur ſepulturæ ante horas duodecim ab ejus obitu; viginti quatuor verò ſi mors fuerit repentina.

De Excomunicationibus, & Cenſuris.

CAPUT DUODECIMUM.

PUblicè excomunicati, & denunciati non audeant Eccleſiam ingredi, maximè tempore, quo divina celebrantur officia, ſuper quo Rectores Parochiarum invigilent: Et ſi perſeveraverint in excomunicatione, teneantur Nobis denunciare, ut poſſimus opportunè providere.

Cum contingerit ex mandato Noſtro excomunicationis ſententiam fulminari, hoc faciant Curati in Eccleſia, inter Miſſarum ſolemnia; vel immediatè poſt. Caveant tamen in fulminatione, ne calcem,

ace-

acetum, vel candelas nigras, vel detinctas adhibeant, se abstinendo ab alijs hujusmodi cęremonijs; sed sufficiat simplicitèr sententiam excomunicationis pronunciare.

Excomunicati, sivè, qui incurrerunt in majorem excomunicationem, licèt non sint publicè denunciati, Noverint, regularitèr peccare mortalitèr, si se ingerunt in actibus, qui ab excomunicato exerceri, vel administrari nequeunt.

De Absolutione Censurarum, & Dispensatione.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

NEmo Confessariorum, licèt à Nobis approbatus, absolvat à censuris, & casibus Sedi Apostolicę, vel Nobis reservatis sine Nostra licentia, & si deputatus fuerit ad absolvendum, vel dispensari contingerit (supposita facultate) super aliquod impedimentum, servet infrascripta.

Non absolvat, neque dispenset cum subditis Nostræ Abbatialis Jurisdictionis; nisi in casibus occultis, imposita salutari poenitentia secreta tantùm in foro conscientiæ, & in casibus à jure permissis, gratis, servata forma Sacri Concilij Tridentini Sess. 24. c. 6. de Reform. & non alitèr.

Non utatur Confessarius facultate absolvendi à censuris, aut dispensandi in casibus permissis; nisi Sacramentalitèr post auditam confessionem, etiam tempore Jubilei, aut vigore Bullæ Apostolicæ; nisi à Nobis expresè talis facultas ei concedatur.

Si Confessarius ab excomunicatione aliquem absolvere nequeat, moneat eundem, ut se abstineat à participatione in divinis, & ab audienda Missa, si absque scandalo hoc facere possit.

Quotiès super irregularitate dispensaretur cum aliquo, qui ante ipsam irregularitatem Beneficium obtinuerit legitimè, permittatur ei ipsius beneficij retentio sine restitutione fructuum; si verò apparet in statu irregularitatis beneficij collationem obtinuisse: mandet, ut illud relinquat, & fructus perceptos restituat, vel novam provisionem obtineat, & de perceptis fructibus cum Camera Apostolica se componat.

Si Confessarius aliquem beneficiatum absolvat ab excomunicatione occulta, non obliget illum ad perceptorum fructuum restitutionem, quos tempore excomunicationis percepit; nisi de distributionibus quotidianis, si talis Pœnitens habuerit.

De Absolutione Iuramenti ad effectum agendi, & excipiendi.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

ABsolutio Juramenti ad finem, ut supra, non concedatur; nisi ex legitima causa; nimirum si juramentum constiterit, fuisse interpositum fraude, violentia, timore, vel aliquo medio de Jure prohibito: similitèr si Pœnitens juret, se enormitèr læsum ex tali Juramento.

In concedenda juramenti absolutione non requitur citatio partium, cum ita sit magis communis Doctorum opinio, & ita de stylo observatur in Nostra Abbatiali curia.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

FInis, & scopus sanctæ Visitationis, quæ ab Apostolis fuit introducta Actor. cap. 15. est, ut loquitur Sacr. Trid. sacram, & orthodoxam doctrinam inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, Populum monitis ad Religionem, & pacem accendere. Quapropter, ut tàm sacro muneri satis à Nobis fiat, hoc pro Cleri instructione observanda proferimus.

In visitatione cujuslibet loci sit Clerus præsens, & ante ingressum Ecclesiæ legatur à Parocho lista omnium Clericorum, ut contumaces puniri valeant pro Nostro arbitrio.

In visitatione Parochialium Ecclesiarum fiat absolutio defunctorum; postea verò visitetur Tabernaculum Sanctiss. Eucharistiæ, fons baptismalis, sacra olea, & Sanctorum reliquiæ, si quæ sunt, an benè, & ritè custodiantur, & administrentur.

Visitentur postea Altaria, incipiendo à Majori, & alia à cornu epistolæ per girum, ut redeatur ad cornu Evangelij dicti Altaris Majoris. Præsens visitatio, non solùm fiet quoad ornatum, scilicèt tobaleas, candelabra, Cruces, Immagines, pluvinaria, pradellas; sed etiam circa onera Missarum, an sint de jure patronatus, an Cappellania, vel legata, seù aliæ dispositiones, qui celebrent, pro quibus, quando, & quoties; An satisfaciant debitores, qui sint, & quomodo obligati, & omnia redigantur per Cancellarium in scriptis.

Fiat deinde accessus in Sacristiam, & visitentur Calices, patenæ, vasa sacra, supellex, tabellæ Missarum, & libri, in quibus dietim annotantur, & inven-

ventaria bonorum; visitetur denique tota Ecclesia, scilicet pavimentum, tectum, sepulturæ, sedes confessionales, fenestræ, & portæ.

Visitentur etiam aliæ Ecclesiæ Parochiales, & Nobis subjectæ; modò, qui supra.

Videantur libri Parochiales, si domi Parochorum sint; sin verò in Ecclesia, priùs scilicèt liber baptizatorum, matrimoniorum, & defunctorum, an ad formam Ritualis sint annotata notanda, & benè constructi, & cooperti.

Suppressa Monasteria, vel reintegrata post suppressionem, etiam visitentur; quæ visitatio non solùm sit localis; sed etiam personalis &c.

Denique fiat visitatio personalis totius Cleri, ut sciatur, quomodo vivant in Religione, & in via mandatorum Dei: An sint scandalosi, concubinarij, usurarij, blasphemi. Inquirendum etiam est, an sint in Populo similis farinæ, ad hoc, quod in Domino videbitur, expediatur.

De Observantia Chori, & Disciplina.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

IN Abbatiali Nostra Ecclesia assistant omnes Cappellani horis Canonicis quotidiè per hebdommodam alternatim, & Missæ cantatæ celebrandę pro Anima Comitis Reggerij Abbatiæ, & Ecclesiæ fundatoris, Adalassiæ ejus uxoris, & filiorum. Absentes verò pro qualibet hora, pœna taxanda per edictum plectentur: Adeoque à puntatoribus puntari debent.

Nullus è Choro exeat; nisi finito officio; aliàs punnetur à puntatore; si tamen per urgentem necessitatem cogitur exire, de licentia Præsidentis fiat, & non alitèr.

Qui

Qui ad Matutinum ante finem secundi Psalmi, ad alias horas ante finem primi, ad Missam ante finem Epistolæ non fuerunt præsentes in Choro, puntentur, ac si integrè fuissent absentes.

Divinæ laudes non cursim, aut festinantèr; sed tractim, devotè, atque cum pausa decenti, præsertim cum dimidiantur versiculi Psalmorum, persolvantur ab omnibus.

Diebus Festivis, & Dominicis omnes Cappellàni teneantur interesse, tàm horis Canonicis, quàm Missæ solemni sub poena duplicitèr, ut supra taxanda.

Sedeant in Choro Cappellani ordine antiquitatis servato in superioribus sedilibus. Cęteri Sacerdotes in inferioribus sedilibus cum modestia, silentio, & devotione.

In omnibus Festivitatibus primæ classis teneantur omnes tàm Cappellani, quam Sacerdotes in Choro assistere Horis canonicis, Missæ solemni, & vesperis. In Festivitatibus secundę classis hortamur omnes Sacerdotes, qui Cappellani non sunt in Choro assistere, ut Ecclesiæ Abbatiali decus, & dignitas màjor augeatur.

Anniversarium cum Missa solemni Serenissimi Fundatoris Roggerij celebretur singulis annis die 21. Junij.

Meminerint Sacerdotes omnes Festum Sanctiss. Trinitatis esse Titulare, & Patronum Nostræ Jurisdictionis, ac proinde habere octavam, quæ etiam octavæ Corporis Christi præcedere debet.

De

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

Finis, & ſcopus Noſtræ mentis eſt juſtitiæ adminiſtratio; ideò hæc in præſenti ſtatuenda duximus.

In omnibus cauſis, tàm civilibus, quàm criminalibus, quando appellatio contingerit interponi, seù in danda copia actorum, obſervetur diſpoſitio Sac. Conc. Trid. in cap. 1. Seſſ. 4. de Refor. & in c. 20. ſeſſ. 24 de Reform. Item in conceſſione literarum dimiſſorialium ad ordines ſuſcipiendos, obſervetur omninò etiam Concilij Trid: diſpoſitio in cap. 1. Seſſ. 21. de Reform.

Conſtitutionem à Felic. Record. Clementis VIII. incipientem (litium diſpendijs de nullitatibus non aſtendendis in Statu Eccleſiaſtico) in Curia Noſtra obſervari volumus, excluſis cęteris nullitatibus pręter tres; niſi illas provenientes ex defectu juriſdictionis, citationis, & mandati. Reijciendo etiam juramentum calumniæ ad evitandum perjuria.

Dilationes, & ſuperſeſſorias favore debitorum contra creditores decernimus non eſſe concedendas; niſi priùs debito confeſſo, & præſtita cautione de ſolvendo poſt tempus ei conceſſum, quod conceditur ſemel per duos menſes, & ante mandatum executivum.

Conſtitutionem (ſancimus) de jure prothomiſeos, ſeù de jure congruo hujus Noſtri Regni, volumus ſervandam juxta ejus ſeriem, & tenorem in hac Noſtra Curia.

Omni cum maturitate concedantur monitoria pro rebus deperditis, juxta Sacr. Conc. Trident. decretum,

tum, & summa debet excedere sex ducatos, attenta petentis paupertate: debeat etiam exprimi verbis modestis; nunquam autem nominetur aliquis, ita ut detentor sub excomunicationis pœna restituere, & sciens revelare teneatur. Non fiant publicationes, & multò magis fulminatio diebus solemnioribus, & revelationes, si quæ sunt, coram Parocho fiant à denunciantibus, & subscribantur, vel signo Crucis firmentur, & clausæ, & sigillatæ ad Nos transmittantur.

Cancellarius noster nullas literas dimissoriales, vel fides de vita faciat, neque scripturas de archivio extrahat, nec processus originalis, vel scripturas pęnes acta exhibitas, Partibus, vel alijs accommodet; nisi de licentia Nostra.

Statim ac quis initiatus fuerit ad primam tonsuram Cancellarius adnotet in libro nomen, & cognomen initiati; nec non diem, & annum cum Episcopo, a quo initiatus fuerit, & relinquat spatium, in quo possint posteriores ordines adnotari eodem modo.

Si quis surripuerit, laceraverit, sivè in parte, sivè in toto, vel etiam cassaverit processus, libros, vel scripturas Nostri Archivij, seù Cancellariæ ipso jure excomunicationem incurrant, qua innodari, etiam mandamus eos, qui processus necessarios, scripturas hujusmodi sublatas apud se retinent; extendentes etiam hanc poenam ad retinentes, vel retenturos scripturas aliorum Ecclesiarum, vel piorum quorumcunque locorum, & etiam ad scientes, & non revelantes.

Pro rebus spiritualibus, vel illis annexis servetur taxa Innocentiana; pro cęteris causis, tàm civilibus, quàm criminalibus observetur taxa in appendice apponenda, quæ ad litigantium, vel reorum satisfactionem pronta semper erit in Curia.

De Constitutionibus Synodalibus.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM, & Ultimum.

QUæ hactenùs ad Fidelium curæ Nostræ concreditorum, spiritualem utilitatem, & Ecclesiasticam in Clero disciplinam stabiliendam statuimus, vel monuimus, ut plurimùm decerpta ex legibus Nostrorum Prædecessorum tàm exactè observanda erunt ab omnibus, ad quos pertinet, ut pœnarum executioni locus non relinquatur, & publicationem jam peractam præsentium constitutionum; ita volumus quemquam afficere, perinde, ac singulis forent personalitèr intimata.

His tamen Constitutionibus non ita circumscribimus Nostræ auctoritatis fines, ut eas, quatenùs opus sit, mutare, & corrigere; Immò ubi opus fuerit cum subditis Nostris dispensare; atque demùm illis addere, quę in Domino adjungenda videbuntur; prout æquitatis, & casuum exigentia suadebit non possimus. Siq; aliquid, vel declarandum, vel interpretandum in earundem Constitutionum observantia contingerit, id Nobis reservamus.

Pro Nostra autem reverentia, & submissione, quam erga Sanctam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & tutissimam Magistram, meritò profitemur, has easdem Constitutiones Nostras Sanctissimo Domino Nostro Clemente XI. Salvatoris Jesu Christi in terra Vicario humillimè subjicimus, ut Sedis Apostolicæ auctoritate immutentur, corrigantur, emendentur; aut (si dignabitur) fulciantur.

Casus

BLasphemiæ in Deum, Beatam Virginem, ac Sanctos, & à fortiori si sint hæreticales.

Sortilegia, maleficia, superstitiones, incantationes cum Dęmonis invocatione, etiam tacita, & abusus Sacramentorum, & Sacramentalium.

Sodomia, bestialitas, incestus usque ad secundum gradum inclusivè, tàm consanguinitatis, quàm affinitatis, etiam spiritualis, & ex illicita copula contractæ. Et concubinatus ultra duos menses.

Defloratio Virginum, earumque Raptores, etiam consentientium.

Suffocantes pueros in lecto, aut in eo retinentes absque cunis, vel alio adminiculo.

Homicidium voluntarium, vel abortum committentes, etiam non sequuto effectu, procurantes, auxilium, vel consilium dantes.

Depositio falsi in judicio, vel cęcas literas, aut cum suppositis nominibus scribentis, vel scribi mandantes, & consulentes.

Non solventes decimas, legata pia, vel Ecclesiastica debita.

Quæcunque percussio in Patrem, & Matrem.

~~Allocutio cum Monialibus, exceptis~~ consanguineis in primo gradu.

Fœminæ sociantes funus defunctorum in primo gradu, & Mulieres emittentes ejulatus, vel capillos evellentes exequiarum tempore in Ecclesijs.

Censuræ omnes, quæ sunt in hac Synodo.

Ad tollendam difficultatem, sciant omnes Confessarij, non esse Nostræ intentionis eandem reservationem habere locum in maribus ante annum 14. aut in fęminis cujuscunque ætatis, circa qua Nobis reservamus casus secundum, quintum, & undecimum.

Secundò declaramus in casum reservati stupri incidere, qui cum Sponsa ante Matrimonium de præsenti rem habet; tertiò Sodomiam esse reservatam inter mares, tàm agentes, quàm patientes. Quartò Concubinatum dici etiam, si Mulier non fuerit sub eodem tecto.

PETITIONES FACTAE A R. D. Francisco L'Acquaniti Procuratore Cleri totius Jurisdictionis, cum responsionibus ad singulas Reverendissimi Domini:

REVERENDISS. DOMINE.

Reverendus Clerus supplicat, & petit à Reverendissima Dom. Vestra hæc, quæ sequuntur.

Ut provideatur, nè fęminæ associent Sanctiss. Viaticum, si tempore nocturno ad Infirmos deferri contingerit. Resp. Placet.

Tempore publicæ Processionis non liceat fęminis devotionis causa sanguinem emittere, seù, ut, vulgò dicitur, Far le battente. Resp. Placet.

Occasione refugij nullus habitet cum uxore, seù filijs in Ecclesijs, & ubi servatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum: nemo, etiam solus possit ultra duos dies commorari. Resp. Placet, & si fuerint renitentes, Parochi nos certiores reddant.

Ne audeant in eodē lecto abdormire mares simul, & fęminæ, etiam conjunctæ in quocunque gradu, quando ætatis annum decimum impleverint, ad evitanda mala, quę hìc passim oriuntur. Et Rev. D. Resp. mandari Confessarijs, nę absolvantur, nisi facta separatione.

De-

DECRETUM

De Synodi Dimissione.

NOs Joseph Vannuttius Soc. Jesu Philosophiæ, ac Sacræ Theologiæ Professor, Vicarius Generalis Abbatiæ Sanctiss. Trinitatis Mileten: nullius &c. in hac Diœcesana Synodo Præsidens, ad Dei Omnipotentis, ac Deiparæ semper Virginis Mariæ aliorumque Sanctorum laudem, hanc nostram Synodum Diœcesanam sub eorumdem auspicijs in hac Dominica quarta post Pascha legitime congregata dimissã, & absolutam esse decernimus, ac tenore præsentium denunciamus, ut cuique, post gratiarum actiones licitum sit ad proprias Ecclesias, suaque loca regredi: Hortamur tamen vos omnes Fratres carissimi, de quo enixiùs, totisque visceribus, Dominum deprecamur, ut talis quisq; vestrum in suo munere, moribus, vitæque innocentia, ac salutis animarum zelo imposterùm fidelibus Populis, tanquam lux supra montem posita præluceat, ut singuli prorsùs intelligant, ex hac Synodo uberrimum in Domino fructum vos ipsos reportasse, & Dominus noster Jesus Christus sit cum omnibus vobis. Amen.

Joseph Vannuttius V. G. Abbat.

Rogitus Actorum.

IN Dei Nomine Amen &c. Præſenti publico iſtrumento cunctis pateat evidenter, & notum ſit, qualiter anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo duodecimo, indictione quinta, die vigeſimo quarto menſis Aprilis, Dominica quarta poſt Paſcha, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ Undecimi anno ejus duodecimo felicitatem &c. In Pago Sancti Gregorij Superioris, in Eccleſia Parochiali Præſidente Reverendiſs. Domino Patre Joſeph Vannuttio Societatis Jeſu Sacræ Theol. Prof. Vicario Generali Abbatiali Sanctiſs. Trinitatis Militen. nullius Diœc., Parochis, Vicarijs foraneis, ac Clero, tam ipſius Pagi quàm Diœc. prædictæ, per edictum reſpectivè vocato, ac legitimè convocato poſt Miſſam ſollemnem, ac Sermonem habitum ab eodem Reverendiſs. Patre Vicario, omnia, & ſingula in actis ſupraſcriptis redacta, & fideliter enarrata per Dominum Sacerdotem D. Joannem Baptiſtam Vinci Synodi Secretarium, alta, & intelligibili voce è pulpito lecta, & publicata fuere, primum decreta Synodi præliminaria, utpotè de Synodi inchoatione, ac reliquis, prout in eiſdem actis, ac etiam electi, deſignati, & deputati Examinatores, ac Judices, necnon Teſtes Synodales, emiſſa &c. Fidei profeſſio ab omnibus, & ſingulis, qui eam emittere tenebantur, atque continua ſeſſione fuerunt promulgata decreta, & conſtitutiones Synodales uſque ad finem tituli de Sacramento Matri-

mo-

monij; Post vesperas tantùm eodem die in secunda Sessione aliquibus præcibus,ac ceremonijs persolutis, idem D.Secretarius prosecutus fuit lectionem usque ad finem decretorum,& constitutionum Synodalium, ac præfatis omnibus,prout paritèr in actis præscriptis exprimuntur celebratis gestis,publicatis,ac peractis, facta fuit supplicatio à D. D. Francisco L'Acquaniti Parocho Avenæ superioris, & Cleri Procuratore pro aliquibus capitibus, quibus annuens Rev.D. fuit lectum per eumdem D.Secretarium decretu de Synodi dimissione facta &c. Cleri vocatione, ac obedientia exhibita Rev.D. fuit Synodus dimissa cum gratiarum actione per Hymnũ Te Deum laudamus ceterasq; preces, & orationes. Super quibus omnibus ac eorum singulis instanti U.J.D.D.Dominico La silica Rectore Curato dicti Pagi S.Gregorij superioris Synodi Promotori petitũ fuit, ut tanquam Synodi Notario, unum, vel plura publicum, seù publica conficere, atque tradere deberem istrumentum, seù istrumenta, prout opus fuerit, & rogatus ero. Lectum ibidem, anno, indictione, die, & Pontificatu, quibus supra præsentibus atque intelligentibus D.Jacobo Cannata, D.Nicolao Murmura, D.Nicolao Barone, D.Francesco Paulo Surbelli, D. Joanne Baptista Sarbilli, D. Antonino Spasari, alijsque Testibus ad prædicta omnia,& singula vocatis, habitis, & rogatis, & in fidem &c. Vincentius prætereà à Monteleone per totum orbem Apostolica authoritate Notarius, & Curiæ Abbatialis prędictæ Actorum Magister de prædictis rogatus præsens publicum istrumentum confeci, scripsi, subscripsi, publicavi, meo solito signo signavi rogatus &c.

R.D.

R. D. Nicolaus Persico U. J. D. *revideat, & referat. Neap. 21. Octobris* 1712.

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.

D.P.M.Giptius Can. Deput.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

Libellum, cui titulus *Synodus Abbatiæ Sanctissimæ Trinitatis Mileten: nullius Diœcesis à R.P. Josepho Vannutio Societatis Jesu, ejusdem Abbatiæ Vicario Generali elucubratum*, Em. Tua jubente, perlegi, nihilque in eo contrà fidem orthodoxam, bonos mores, aut ecclesiasticam disciplinam reperi; Typis ideò demandandum censeo, ni aliud Em. Tuæ videbitur, cui me totum debeo. Neapoli 9. Kal.Novemb.1712.

Em.Tuæ Reverendiss. *Humill. ac Addictiss. Servus*

Nicolaus Antonius Persicus.

Attenta supradicta relatione Imprimatur. Neap. 3. Nov. 1712.

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC.GEN.

D.P.M.Giptius Can.Deput.

Mag. U. J. D. *Franciscus de Onofrio videat, & in scriptis referat.*

GAETA Reg. GUERRERO Reg. AGETA Reg. ARGENTO Reg. MAZZACCARA Reg.

Provisum per S. E. Neap. 3. Octob. 1712. Crostarosa.

JUssis E. V. obtemperans, Opusculum supradictum legi, nihilque in eo inveni quod Regiæ officiat Jurisdictioni, sed cuncta, piè ad materiam præcipi, & concinnè tradi: quare ni alitèr E.V. videatur typis mandari posse censeo. Datum Neap.12.kal.Nov. 1712.

E. V. *Obsequentissimus Cliens*

Franciscus de Onuphrio.

Visa supr. relat. imprim. v. rum ante publ. servetur Reg. Pragm.

GAETA Reg. GUERRERO Reg. ARGENTO Reg. MAZZACCARA Reg.

*Provisum per S.E. Neap.24.Octob.*1712. Crostarosa.

Ill. Dux Sancti Nicolai non interfuit.